

# PALAESTRA LATINA



ANN. XXXVII (Fasc. I) - N. 197  
M. MARTIO - A. MCMLXVII

# PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii CAESARAUGUSTAE edendi

PRETIUM MITTATUR OPORTET AD ADMINISTRATOREM:

San Antonio M.<sup>a</sup> Claret, 37 - ZARAGOZA

vel ad Procuratores singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: P. M. Molinam, C. M. F. - ALAGON (Zaragoza)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

---

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## I N D E X

ANN. XXXVII (Fasc. I) N. 197

M. MARTIO A. MCMLXVII

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F., <i>De L. Annaei Senecae vita et doctrina ...</i>	1
FRANCISCUS ALOISE, <i>Mater Jesu et Pilati uxor ... .. .</i>	13
J. M. MIR, C. M. F., <i>Paulus VI Athenaeum Salesianum eique conexum Institutum altioris Latinitatis invisit ... .. .</i>	19
GUARINUS PACITTI, <i>Grex omnino popularis effectus ... .. .</i>	23
CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B., <i>De situ archiabbatiae Ottiliensis (St. Ottilien) ... .. .</i>	25
NICOLAUS MANGEOT, S. J., <i>"Galilae, vicisti" ... .. .</i>	28
MARIANUS MOLINA, C. M. F., <i>Per Orbem ... .. .</i>	32
BIBLIOGRAPHIA, J. M. Mir, J. Aspa, J. L. Latorre, J. Jiménez ... .. .	36

---

PALAESTRALATINA  
LITTERARUM LATINARUM COMMENTARII  
A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XXXVII (FASC. I) — N. 197

M. MARTIO

A. MCMLXVII

DE L. ANNAEI SENECAE VITA ET DOCTRINA  
(4 a Chr. - 65)

1. L. Annaeum Senecam, virum magno ingenio, consilio, auctoritate, dicendi docendique copia et amoenitate praeditum, eruditionis principem, latinum Socratem, saepe nostrum, cum Tertuliano<sup>1</sup>, vocare possumus; quia, in Hispania natus, et cito in scriptores classicos latinos —quidquid dixerit Quintilianus<sup>2</sup> aliique impugnatores— magna clarorum virorum admiratione est cooptatus, et mira rerum doctrina vitaeque integritate fere christianus evasit.

Vir ille sapiens, Seneca, sapientiam docuit et coluit. Ipsius vultus sapientis imaginem repraesentare videbatur, ipsiusque sapientissima verba magnique ponderis sententiae omnibus aetatibus tanta vi atque favore praestiterunt, ut homines allicerent quamplurimos atque ad virtutis amorem cultumque summa ope traherent.

2. Hunc tantum virum, qui optimo jure noster et saepe noster habendus est<sup>3</sup>, non est quod exiguis meis prosequare laudibus. Ipse de se laudatur. Ceterum satis eum praedicarunt —et magnis quidem praeconiis— clariores scriptores tam antiqui quam hodierni. Sed, undevicesima ab ejus morte vertente centenaria commemoratione, nobis non licet illius memoriam silentio praeterire, veluti maximam partem hominum, qui nullum sui vestigium post se reliquerunt. Pauca ergo dicam de Seneca, de ipsius vita deque ejusdem doctrina, quae, etsi augere ejus gloriam nequeant, nobis tamen sint incitamento ad ipsius admirationem, ad ipsius clariorem cognitionem, ad ipsius denique exempla et praecepta persequenda.

1. TERT.: *De anima*, 20, 1.

2. QUINT.: *Inst. Orat.*, 10, 1, 125-131.

3. BAUMGARTEM, M., *L. A. Seneca und das Christenthum*. 1895; MENDEL Cl. W., *Our Seneca* (In «*Seneca's influence on English Drama*»), 1941.

## QUAE MAXIME DE VITA SENECAE NOTA NOBIS SINT

I. *De Senecae ortu et familia.*

3. Quae nobis de Senecae ortu et familia antiqui scriptores tradiderunt, paucis absolvam. Non multae revera sunt numero et breves, praeterea, et parum inter se concordantes, res gestae seu judicia, quae de Senecae vita nobis antiqui scriptores reliquerunt. Inde fit ut Senecae vita —sicut et scripta— paradoxa quaedam seu inter se non convenientia ferat. Ipse cum aequalibus tum posteris intricatum aenigma saepe visus est. Hinc varia judicia, disparia saepe et inter se opposita, quae de eo prolata sunt. Nihil igitur mirum, si aliis admirationi Seneca ex omni parte ansam praebuerit, ab aliis vero fere omnino criminatus sit. Quid ergo dicendum?

4. Historiae seu vitae, quae de Seneca philosopho scriptae sunt, omnes decursu temporum prorsus perierunt. Remanent tantum res seu historiae hinc illinc in nonnullis scriptoribus dispersae, praesertim in ipsius Senecae scriptis<sup>4</sup> et in eis historiis, quas Tacitus et Cassius<sup>5</sup> in primis de Romanis imperatoribus scripserunt. Ex his ergo antiquis fontibus praecipua, quae ad Senecae vitam sese referunt, hauriam.

5. L. Annaeum Senecam Cordubae natum esse constat, in veteri florentique colonia Hispaniae Baeticae, anno IV ante Chr. n. Ipse

---

4. In operibus ipsius Senecae toti CLXXXV autobiographici inveniuntur; de eis plus CXXV in Epistulis ad Lucilium, ubi saepe animi sensus affectusque caro discipulo comiter exprumpsit et aperuit. Desunt nobis ceterae Senecae epistulae, praesertim ad familiares, quae, si exstarent, ut fit in ciceronianis epistulis, ampliorem haberemus de ejus vita cognitionem. Cf. H. W. KAMP, *A critical biography of L. A. Seneca*, Illincis, 1931.

5. Habes hic locos praecipuos, ubi Tacitus et Cassius Dio de Seneca nostro loquuntur: TACIT., *Ann.*, 12, 8, 2; 13, 2, 1; 13, 5, 3; 13, 11, 2; 13, 12, 2; 13, 42, 1-6; 14, 2, 2; 14, 7, 2-4; 14, 11, 4; 14, 52, 1-2; 14, 53-54; 14, 56, 8; 14, 65, 2; 15, 4, 5; 15, 56, 2; 15, 60, 3-8; 15, 61-65. — CASSII DIONIS, *Historiarum Romanarum quae supersunt*: L. Annaeus Seneca omnes sui temporis romanos sapientia superat, 59, 19, 7. Quod causam coram Grajo in senatu egregie egerat capitis damnatur, sed demittitur, 59, 19, 7. Adulterii cum Julia accusatus a Claudio relegatur, 60, 8, 5. — Praeceptor Neronis, Agrippinae filii, 60, 32, 3; 61, 35, 3. Orationem scribit, quam Nero apud milites habet, item quam in senatu recitat, 61, 3, 1. Cum Sex. Afranio Burro Agrippinam exuit potestate, 61, 3, 3-4. Cum eodem curam imperii suscipit, 61, 4, 1. Britannico intercepto minorem curam imperii habet, 61, 7, 5. Adulterii cum Agrippina accusatur, 61, 10, 1. Neronis caedis matris suasor, 61, 12, 1. Ab interficiendis hominibus Neronem avertit, 61, 18, 3. — Neroni cantanti adstat, cantanda suggerit, plaudit, 61, 20, 3. — Contra Neronem conjurasse dicitur, 62, 24, 1. — Uxor Paullinae secum mori cupientis etiam venas aperit, 62, 25, 1. — Venis incisus moritur ante uxorem quae servatur, 62, 25, 2. — Scripta sua prius apud amicos deposuerat, 62, 25, 2. — Ejus fratres necantur, 62, 25, 3. — Ejus mores, 61, 10, 2-6. — Ejus frater L. Junius Gallio 60, 35, 2.

Helviam matrem, ut magni animi ingeniique feminam, suavissimis verbis commendat<sup>6</sup>. Pater autem, L. Annaeus Seneca, quem Rhetorem seu Declamatorem appellare solemus, ut a filio philosopho facilius distinguamus, inter equites romanos tempore Augusti et Tiberii maxime floruit<sup>7</sup>.

6. Seneca noster duos habuit fratres, M. Annaeum Novatum, qui Gallio etiam postea dictus est, et L. Annaeum Melam; nec de aliis fratribus constat. Ipse Seneca Helviae matri trium filiorum praesentat:

«... carissimum virum, ex quo trium liberorum mater eras»<sup>8</sup>.

Novatus frater, natu major, a Gallione adoptatus est, unde Gallionem nomen accepit. Idem ergo est Novatus, cui frater Seneca libros *De ira* misit, et Gallio, cui opus *De vita beata* dicatum est. Is Gallio postea proconsul in Achaia fuit, cum Judaei adversus Paulum insurrexerunt (*Act.* 18,13).

L. Annaeus Mela, frater natu minor, Lucanum poetam genuit, clarum Senecae familiae decus et gloriam.

De suis fratribus Seneca exsul ad Helviam matrem haec piissime habuit:

«Respice fratres meos, quibus salvis, fas tibi non est accusare fortunam. In utroque habes quod te diversa virtute delectet; alter honores industria consecutus est, alter sapienter contempsit. Adquiesce alterius filii dignitate, alterius quiete, utriusque pietate. Novi fratrum meorum intimos affectus: alter in hoc dignitatem excolit, ut tibi ornamento sit; alter in hoc se ad tranquillam quietamque vitam recepit, ut tibi vacet»<sup>9</sup>.

Haec verba nobis intimos piosque Senecae animi sensus plane patefaciunt, quibus plenae sunt paginae illius libri, quem matri tempore exsilii dicavit et cui index est «Consolatio ad Helviam matrem».

7. Seneca philosophus, Cordubae natus, omnem fere aetatem Romae degit. Quo vero tempore et quibus de causis Seneca Romam

6. Cfr. opus *De consolatione ad Helviam*.

7. Praenomen patris fuit L., non vero M. De hac re H. J. Müller, in *L. Annaei Seneca Oratorum et Rhetorum sententiae divisiones colores* (Vindobonae, 1887, pag. VII) haec habet: «Hoc addo, me Senecae patri hoc praenomen reddidisse quod in suscriptionibus optimorum codicum legitur. Rectene fecerim incertum est. Constat enim, cum antiquitatis studia rursus efflourissent, libros Senecarum, patris et filii, ad unum eundemque scriptorem relatos esse, fierique sane potuit, ut, quemadmodum tunc viri docti, sic antea librarii indocti praenomen similitudine effici potuisse crediderint, ut, qui duo erant homines, pro uno haberentur, duorumque libri unius nominis inscriberentur. Quare, cum nihil obstat, quin patrem et filium eodem praenominis usos esse statuamus, cautius agere mihi visus sum, si codices secutus patrem Lucium appellarem, quam si ejus praenomen, ut incertum, cum editoribus ommitterem».

8. *De consolat. ad Helviam*, 2, 4.

9. *De consolat. ad Helviam*, 18, 1-2.

venerit, difficile est dictu. Seneca Rhetor, Augusti temporibus, Romam venisse fertur, quem secutam mox uxorem cum liberis putandum est. Testimonium ipsius filii in hanc rem afferre possumus, qui:

«Illius manibus (sc. matris) —inquit— in urbem perlatus sum; illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger convalui»<sup>10</sup>.

8. Senecam patrem cum uxore et liberis diu Romae vixisse constat magna amicorum turba et discipulorum commendatione. Rem familiarem refecit auxitque atque ibi, usque ad finem imperii Tiberii, vitam produxisse fama est. Seneca pater Romae magna fama claruit, tantaque eum praeditum esse memoria constat, ut, ipso teste, plus milia nominum, quo ordine essent recitata, ex tempore redderet<sup>11</sup>. Exstant ipsius Senecae patris *Oratorum Rhetorum sententiae*, eloquens tanti viri testimonium. Filius patrem magno amore atque honore semper prosecutus est eumque «virosum optimum» vocat<sup>12</sup>, atque de eo hoc egregium testimonium ad posteros protulit:

«Ad claritatem nominis sui satis prospexerat; nam, nisi me decipit pietas, inter eos habetur qui ingenio meruerunt ut puris scriptorum titulis nobiles essent»<sup>13</sup>.

## II. De Senecae institutione et magistris.

9. Domi apud matrem prima Senecae pueri institutio coepta est<sup>14</sup>, qui, quamvis infirma valetudine uteretur, studiosissimus litterarum fuit, ita ut cito magnos in variis disciplinis profectus fecerit fueritque ipsi patri admirationi. Pater igitur, qui optimum filium optimis artibus ab optimis magistris excultum volebat, ipse de superiore filii institutione maximam curam sumpsit. A patre eloquentiam didicit, in qua adulescens optime versatus evasit<sup>15</sup>. Sed ejus ingenium ad philosophiam proclivior erat, ideoque, claros magistros a patre propositos filius tanto studio ac diligentia audivit, ut mox omnes collegas doctrina, rerum cognitione, facundia superaverit. Ita evenit:

10. *De consolat. ad Helviam*, 19, 2.

11. SENEC.: *Controv.*, Prooemium, 1.

12. *De consolat. ad Helviam*, 17, 4: «Utinam quidam virosum optimus pater meus».

13. *Fragm. De Vita patris*, cfr. FORCELLINI-PERIN: *Onomasticum*. s. v. L. Annaeus Seneca; ed. Romae, 1940.

14. Momentum matris in filiorum institutione scriptores latini semel iterumque commemorant; cf., ex. gr., CIC.: BRUTUS, 27,58; TAC.: *De orat.*, 28; Agric. 4; QUINT.: 1,1,6.

15. ROLLAND, E.: *De l'influence de Sénèque le père et des rhéteurs sur Sénèque le philosophe*, Gand, 1906.

ut jugi studio et labore in philosophia, quam in posterum enixe libenterque coluit, facile princeps et vere magister evaserit<sup>16</sup>.

10. Inter magistros, quos ipse Seneca in scriptis saepe laudat<sup>17</sup>, clari fuerunt Attalus stoicus, Sotio neopythagoricus, Demetrius cynicus. Sed, quamquam nonnullos diversosque magistros habuerit pluresque philosophorum scholas frequentavit, stoicorum tamen doctrinam praecipue professus est, et, cum esset in ea apprime versatus, eam postea scriptis et exemplis fovere et commendare non destitit. Ita igitur in *De clementia* dialogo:

«Scio —inquit— male audire apud imperitos sectam Stoicorum tamquam duram nimis et minime principibus regibusque bonum daturam consilium...; sed nulla secta benignior leniorque, nulla amarior hominum et communis boni attentior, ut propositum sit usui esse, ut auxilio, nec sibi tantum, sed universis singulisque consulere»<sup>18</sup>.

11. Post multos annos Seneca condiscipulum Claranum invenisse quadet, hominem corpore vilem, clarum ingenio. En tibi ipsius Senecae verba:

«Claranum, condiscipulum meum, vidi post multos annos; non, puto, expectas, ut adjiciam senem, sed, mehercule, viridem animo ac vigentem et cum corpusculo suo colluctantem. Inique enim se natura gessit et talem animum male collocavit; aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere, posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere... Formosus mihi videtur [Claranus] et rectus corpore quam et animo. Potest ex casa vir magnus exire, potest et ex deformi humilique corpusculo formosus animus ac magnus... Claranus mihi videtur in exemplar editus, ut scire possemus non deformitate corporis foedari animum, sed pulchritudine animi corpus ornari»<sup>19</sup>.

12. Viginti quattuor annorum erat Seneca cum his studiis et disciplinis vacabat; etenim, ut ipse testatur, tempus erat cum, Tiberio Caesare Principe, alienigena sacra amovebantur. Jam vero, ut constat ex Tacito, anno 772 a. U. c., id est, anno XIX post Chr. n., «actum et de sacris Aegyptiis Judaicisque pellendis»<sup>20</sup>.

13. Sed quamquam filius proclivior erat ad philosophiam, in qua magnos profectus fecerat, eum pater ad forum trahere conaba-

16. Cfr. W. RIBBECK, *Lucius A. Seneca der Philosoph und seine Verhältniss zu Epikur, Plato und Christenthum*, Hannover, 1887.

17. Seneca magistros suos saepe laudat: Attalum (*Epist.* 108, 3, 13, 23; 110, 14, 20), Sotionem (*Epist.* 108, 17 et 20), Demetrium (*Epist.* 62, 3), Possidonium (*Epist.* 83, 10; 87, 31; 87, 38). Claranum etiam condiscipulum comiter commemorat (*Epist.* 66, 1).

18. *De clementia*, 25, 2-3.

19. SEN.: *Epist.* 66, 1, 4.

20. TAC.: *Ann.*, 2, 85.

tur causasque defendere eum cogebat. Diu causas actitasse eum constat magnoque plausu et fama cloquii; ideo Claudii temporibus Seneca Caligulae principi magnopere invisus fuit; nam, teste Suetonio<sup>21</sup>, eum, invidia motus, regius princeps despiciebat atque in eum objectabat orationes illius «commissiones meras esse et harenam sine calce». Quod Cassii Dionis testimonio confirmatur<sup>22</sup>. Cum enim Seneca causam quandam in senatu egregie feliciterque egisset, Caligulam principem livore suffusum, qui solus ipse eloquens videri volebat, de Seneca tollendo consilium cepisse narrat, quod quidem fecisset, nisi una ex ejus concubinis admonuisset frustra mortem ab illo jamjam morituro parari, cum Seneca tabe laboraret. Princeps credit, Seneca salvus fuit.

In Seneca tamen plus valuit ingenium quam patris voluntas et ceterorum plausus. Multas orationes postea quidem et scripsit et egit, praesertim cum apud Neronem principem plurimum valeret; sed maximam partem virium ad philosophiam excolendam et commendandam impendit, praesertim in epistulis ad Lucilium, quae Senecae ingenii sunt egregium documentum. In his litteris haec memoranda docet de studiis, de magistris, de disciplinis addiscendis:

«In hoc me recondidi et fores clusi, ut prodesse pluribus possem. Nullus mihi per otium dies exit; partem noctium studiis vindico; non vaco somno, sed succumbo et oculos vigilia fatigatus cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus, sed a rebus, et in primis a meis rebus: posterorum negotium ago. Illis aliqua, quae possint prodesse, conscribo: salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus, quae etiam si persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro»<sup>23</sup>.

Et iterum ad Lucilium:

«Eadem est —inquit— praeceptorum condicio quae seminum<sup>24</sup>», ideoque «tantum discendum est, quandiu nescias; si proverbio credimus, quantum vivas»<sup>25</sup>.

14. Quid de liberalibus studiis Seneca senserit, audi:

«Meritoria artificia sunt, hactenus utilia, si praeparant ingenium, non detinent... Quare liberalia studia dicta sint, vides: quia homine libero digna sunt. Ceterum unum studium vere liberae est, quod

21. SUET.: *De vita Caesarum: Caligula*, 53, 3: «Lenius comptiusque scribendi genus adeo contemnens, ut Senecam maxime placentem, comissiones meras componere, et arenam esse sine calce diceret».

22. CAS. DION.: *Hist. Romanorum*, 59, 19, 7.

23. SEN.: *Epist.* 8, 1-3.

24. SEN.: *Epist.* 38,2.

25. SEN.: *Epist.* 76, 3.



liberum facit, hoc est sapientiae, sublime, forte, magnanimum. Cetera pusilla et puerilia sunt»<sup>26</sup>.

Quae quidem studia, si ita sint, «te clarum et nobilem efficient»<sup>27</sup>; quia revera et in studiis temperantia quoque utendum est; asserit enim Seneca:

«Quemadmodum omnium rerum, sic litterarum quoque intemperantia laboramus; non vitae, sed scholae discimus»<sup>28</sup>.

15. Ut sui ipsius institutionem compleret penitusque perficeret, Seneca, adhuc adulescens, varia itinera suscepit terrasque longinquas adiit, quae ipsi postea ansam praeberent ad libros nonnullos de aliorum populorum consuetudinibus et legibus conscribendos. Ipse Lucilio suo scribens agros Pompeios memorat, quos adulescens viderat:

«Post longum —inquit— intervallum Pompeios tuos vidi: in conspectum adulescentiae meae reductus sum. Quidquid illic juvenis feceram, videbar mihi facere adhuc posse et paulo ante fecisse. Praenavigamus, Lucili, vitam et quemadmodum in mari, ut ait Vergilius noster,

*terraeque urbesque recedunt*<sup>29</sup>,

sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adulescentiam, deinde quidquid est illud inter juvenem et senem medium, in utriusque confinio positum, deinde ipsius senectutis optimos annos»<sup>30</sup>.

16. Servius in vergilianis commentariis mentionem facit de duobus Senecae operibus, quibus indices erant *De situ et sacris Aegyptiorum* et *De situ Indiae*<sup>31</sup>. Iter in Aegyptum fecisse constat, cum avunculus per sedecim annos ibi praefectus permansit, ut ipse nepos in *De consolatione* sponte refert<sup>32</sup>. Ex Aegypto fortasse ad Indiam per Mare Rubrum pervenit, ubi tam raras et notandas res invenit, quarum meminit in libris qui nunc adhuc exstant *De naturalibus quaestionibus*. Haec vero itinera, ut ipse Seneca fatetur<sup>33</sup>, valetudini simul et eruditioni maxime proderant.

26. SEN.: *Epist.* 88, 1.

27. SEN.: *Epist.* 21, 2.

28. SEN.: *Epist.* 106, 12.

29. VERG.: *Aen.* 3,72.

30. SEN.: *Epist.* 70, 1.

31. SERVIUS: *Ad Aen.*, 6, 154; 9, 30. (In editione Thilo-Hagen, Teubner, 1923, II, p. 35; p. 312).

32. SEN.: *De consoi. ad Helviam*, 19, 4.

33. SEN.: *Epist.* 53, 1; 54, 1; 84, 1: «Itinera ista, quae segnitiam mihi excutiunt et valetudini meae prodesse iudico et studiis».

III. *De Senecae fortuna et dignitatibus*

17. Magna fuit Senecae gloria variaque in vita fortuna. Vir acri ingenio praeditus animique fortitudine, firmo pede cursus honorum concurrat. Quaesturam primo gessit, quam ipse gratiae et favori matris ultro tribuit:

«Illa pro quaestura mea —inquit— gratiam suam extendit...; pro me vicit indulgentia verecundiam»<sup>34</sup>.

18. Deinde, statim post exsilium, praetura functus est, ut ex Tacito constat:

«Agripina... veniam ex filio pro Annaeo Seneca, simul praeturam imperat... ob claritudinem studiorum ejus»<sup>35</sup>.

19. Num et consulatum obtinuerit, incertum est; sed eum Tacitus rectorem facit, cum Afranio Burro, imperatoriae juventae Neronis, cujus haec sunt verba:

«Ibatur in caedes, nisi Afranius Burrus et Annaeus Seneca se obviam issent. Hi rectores imperatoriae juventae et (rarum in societate potentiae) concordēs, diversa arte ex aequo pollebant: Burrus militaribus curis et severitate morum, Seneca praeceptis eloquentiae et comitate honesta, juvantes invicem, quo facilius lubricam principis aetatem, si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent»<sup>36</sup>.

20. Sed non omnia Senecae fausta fuerunt. Ad culmen fere honoris pervenerat maximaque pollebat tam in foro quam in senatu auctoritate; magnam quoque sibi gloriam cumulaverat in erudiendis hominibus, ea praesertim quae ad virtutes ducunt et sapientiam, cum anno XLI post Chr. n., falsa Messalinae criminatione, quasi Juliae Germanici filiae moechus, ad Corsicam insulam a Claudio Caesare exsul relegatus est. Ipse vero in exsilio fortem semper et sibi constantem se praebuit, immo et beatum se praedicat, optimis studiis et continuis meditationibus intentus. In *Consolatione* enim ad matrem dicit «se inter eas res beatum esse, quae solent aliis miseros facere»<sup>37</sup>.

21. Eum vero, Agrippinae consilio et opera ab exsilio revocatum, Romae iterum in splendore videmus, divitiis affluentem et auctoritate apud Neronem insignitum, cujus institutio «ob claritudinem studiorum» ei concredita est. Ab exsilio ergo reversum, gloria et divitiae eum tamquam umbra corpus sequebantur. Neronis magister et institutor renunciatus, opibus abundabat, quas privatus cumulaverat et quas Principis beneficiis augebat. Pater enim innumeras ei relique-

34. SEN.: *De consol. ad Helviam*, 19, 2

35. TAC.: *Ann.*, 12, 8, 2.

36. TAC.: *Ann.*, 13, 2, 1-2.

37. SEN.: *De Consol. ad Helviam*, 4, 2.

rat divitias; mater, locupletis familiae filia, locupletes filios fecit<sup>38</sup>; sed postea in aula regia, Neronis munificentia, opes tantas cumulavit, ut ipse Seneca divitiarum apud Tacitum paeniteret, ut rerum philosophiae, quam ipse professus erat, omnino adversarum. Unde haec memoranda verba Neroni locutus:

«Tu gratiam immensam —inquit—, innumeram pecuniam circumdedisti, adeo ut plerumque intra me ipse volvam...: *Ubi est animus ille modicis contentus? Tales hortos instruit, et per haec suburbana incedit, ac tantis agrorum spatiis tam lato foenore exuberat?*»<sup>39</sup>.

Atque revera opes fere regias Seneca noster habuit, hortosque et villas plurimas, quarum nonnullas, ut Nomentanam, Albanam, Bajanam, ipse in scriptis commemorat. Quid mirum igitur, si Juvenalis magnos celebret Senecae praedivitis hortos, illius namque qui omnium rerum honorumque contemptum, ut fundamentum vitae beatæ, praedicaverat?<sup>40</sup>.

22. Habuit praeterea uxorem carissimam, Paullinam, quam Seneca, provector jam aetate et apud Neronem potens, amantissime duxit, quam et in epistulis saepe laudat<sup>41</sup>, quaeque fidelissima et usque ad mortem permansit.

23. Tanta rerum copia tamque egregia fortuna valde noxia ei fuit, nam in eum multorum invidiam incitavit, quae ansam dedit ut eum aemulatores insectarentur et ultro, ut Tacitus in Annalibus refert, accusarent:

«Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur, tamquam ingentes et privatum modum eVectas opes adhuc augeret, quodque studia civium in se verteret, hortorum quoque amoenitate et villarum magnificentia, quasi Principem supergrederetur»<sup>42</sup>.

24. Sed, quamvis fortuna in opibus et in familia secunda fuit, non semper tamen ei arrisit in munere institutoris erga Principem fungendo. Ipse quidem ab Agrippina matre filium libenter gratoque animo instituendum suscepit. Magno studio et amore munus suum exercendum curavit maximamque operam dedit, ut discipulus ad bonos mores et ad virtutem duceretur et quasi allectus traheretur; ferocem tamen animum illius Principis mutare nunquam potuit, sed tantum ad tempus blanditiis et cohortationibus eum continere atque coercere. Jure ipse Seneca:

---

38. SEN.: *De Consol. ad Helviam*, 14, 3.

39. TAC.: *Ann.*, 14, 52, 5.

40. JUVEN.: *Satir.*, 10, 16.

41. SEN.: *Epist.* 104, 2: «hoc ego Paullinae meae dixi...» Prae manibus habeo optimam *Epistularum Senecae* editionem Romae ab Achille BELTRAMI recensita et edita anno MCMXXXI.

42. TAC.: *Ann.*, 14, 52, 2.

«Quidquid infixum —inquit— et ingenitum est, lenitur arte, non vincitur»<sup>43</sup>.

25. Inde evenit ut Nero Imperator, blaterantium clamore, tanquam leo e somno excitus, terram cupiens caedibus et ruinis implere, Agrippinam matrem, Germanicum fratrem, Octaviam uxorem impie crudeliterque occiderit. Tunc Seneca animo contristatus sui que desperans, infirmam valetudinem interponens seu praetexens et litterarum desiderium, publicis muneribus, divitiis honoribusque despectis, ad privatam et umbratilem vitam se recipere conabatur. Hac enim ratione sperabat fore ut rectius Neronis iram crudelitatemque vitaret. Hanc vitae mutationem Tacitus hic verbis narrat:

«Seneca, qui fines omnium cum dominante sermonum, gratis agit; sed instituta prioris potentiae commutat, prohibet coetus salutantium, vitat comitantes, rarus per urbem, quasi valetudine infirma aut sapientiae studiis domi attinebatur»<sup>44</sup>.

Sed frustra; sero enim medicina paratur. Neronis ira, ut tabes nigra, ejus animum omnino corruperat, qui, minas et caedes spirans, omnia ruere cupiebat. Occasionem tantum quaerebat, et occasio fuit L. Calpurnii Pisonis conjuratio. Tunc enim Senecae magistro, prava voluntate, in conjuratorum numero incluso, insonti mortem indixit, quam Tacitus magna animi admiratione et maestitia enarrat<sup>45</sup>.

#### IV. De invicta Senecae morte

26. Senecae mors gloriosa fuit et invicta, Tacitumque clarum praeconem habere meruit, qui eum, vivida rerum verborumque descriptione, nobis exemplum admirandum proponit; apud quem, Senecam, virum vere sapientem, cum moreretur, videmus, qui adversa omnia, ea fortitudine eaque animi tranquillitate sustinuerit, ut, constans sibi usque ad ultimum spiritum, acriter atque strenue ea adimpleverit, quae saepe in vita de constantia sapientis docuerat. Sed ipsum Tacitum carptim audiamus, majoris momenti testem.

«Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi (h. e. Neroni), non quia conjurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando veneno non processerat»<sup>46</sup>.

43. SEN.: *Epist.* 11, 1.

44. TAC.: *Ann.*, 14, 56 6.

45. TAC.: *Ann.*, 15, cap. 60-65. In his capitibus clarus rerum scriptor nobis reliquit vividam Senecae mortis notitiam una cum tanti viri virtutis testimonio et iudicio.

46. TAC.: *Ann.*, 15, 60.

27. Nero enim, cum prius clam veneno Senecam interficere nequisset, Tigellino, qui erat saevienti principi intimus consiliorum, Poppaea coram, Senecae mortem indici imperat. Tum ingressus ad Senecam unus ex centurionibus necessitatem ultimam denuntiat.

«Ille —verbis Tacitianis prosequare— interritus, poscit testamenti tabulas, ac denegante centurione, conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratias prohiberetur, quod unum jam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur, cujus si memores essent, bonarum artium famam fructus constantis amicitiae laturos. Simul lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis, ad firmitudinem revocat, rogans: *ubi praecepta sapientiae, ubi tot per annos meditata ratio adversus imminentia? cui enim ignaram fuisse saevitiam Neronis? Neque aliud superesse, post matrem fratremque interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret*»<sup>47</sup>.

28. Post haec autem uxorem suavissime complectitur «et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus, rogat oratque temperaret dolori neu aeternum susciperet, sed in contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solaciis honestis toleraret. Illa contra sibi quoque destinata mortem asseverans manumque persecutoris exposcit. Tum Seneca gloriae ejus non adversus, simul amore, ne sibi unice dilectam ad injurias relinqueret, *'vitae —inquit— delinimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis; non invidebo exemplo. Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine'*. Post quae, eodem ictu brachia ferro exsolvunt»<sup>48</sup>.

29. Seneca vero, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta effugia sanguini praebebat, «crurum quoque et poplitum venas arrumpit, saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris infringeret atque ipse visendo ejus tormenta ad impatientiam delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et in novissimo momento, suppeditante eloquentia, advocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quae in vulgus edita sunt»<sup>49</sup>.

Seneca interim, «durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret; allatumque hausit frustra, frigidus jam artus et cluso corpore adversus vim veneni. Postremo stagnum cali-

47. Tac.: *Ann.*, 15, 62.

48. Tac.: *Ann.*, 15, 63.

49. Tac.: *Ann.*, 15, 63. Lugendum quidem est quod Tacitus verba et sententias, quas Seneca in supremo momento protulit, praeteriret, tamquam jam in vulgus edita, quae tamen temporis decursu perierunt.

dae aquae introivit, respiciens proximos servorum addita voce libere se liquorem illum Jovi liberatori. Exin balneo illatus et vapore ejus exanimatus, sine ullo funeris sollemni crematus. Ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et praepotens supremis suis consuleret» (TAC., *Ann.*, 15, 64).

30. Haec fere praecipua eorum omnium, quae nobis Tacitus de gloriosa Senecae morte luculenter tradidit. Obiit anno LXV post Chr. n. Memoria tamen ejus apud posteros clara fuit, nomenque suum sui ipsius scriptis, fama vitae, doctorum laudibus firmatum, ad immortalitatem consecravit. Sed nunc finem operi statuamus, ut quam primum de clara Senecae gloria et praeconiis, de ejus scriptis operibus atque doctrina breviter, ut res expostulat, agamus.

**JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.**  
In Universitate Pontificia Professor  
SALMANTICAE (Salamanca) in Hispania

# MATER JESU ET PILATI UXOR

Caelis sanguineos confert Aurora colores.  
Jesum custodes indutum vestibus albis  
Ferratisque manus vinctum post terga catenis  
E regis domibus ducunt Herodis ad altam  
Sedem Pilati, qui sub ditione tenebat 5  
Judaeam sommoque ferens in honore secures  
Romanas illi dictabat jura severa.  
Portis atque viis erumpunt protinus omnes  
Matres atque viri, pueri innuptaeque puellae  
Captum cernendi studio; glomerantur in orbem, 10  
Et Jesum domini sortem miserantur iniquam.  
Undique pervolitant voces confusaque verba,  
Non secus ac Scythicis silvis auditur in altis  
Atque comas spissas fagorum concutit Auster,  
Aut inter scopulos, et juxta litus ab atro 15  
Commotus Borea pontus dat sibila rauca.

Pervenit interea facti praenuntia fama  
In vicis; Jesu matrisque adlabitur aures,  
Quae subito, fidis sociis comitata, per urbis  
Strata, suum quaerit natum lacrimansque gemensque. 20  
Ast illum nusquam cernens, formidine pallens,  
Adsequitur plebem, quae ad regia limina tendit.  
A notis Jesum quaerit pia mater, amarus  
Cumque sui nati casus cognoscit, anhelans,  
Immemor armorum, plebis, magnique pericli, 25  
Expedit ipsa viam, complexaque corpus amati  
Filioli, plagas tristi quas nocte recepit  
Multis supplevit lacrimis, fletumque cruori  
Miscuit; ingentis luctus solatia parva!

Illam sed miles durus caecusque furore 30  
Arcet et ex turba detrudere protinus audet.  
Stat studiosa parens primum transfixa dolore,  
Dein animus pavet et gelidus tremor occupat artus,  
Deficit inque humeros cervicem denique flectit,  
Ut cum vere novo narcissus forte gravatus 35  
Imbribus immodicis, croceus decumbit humi flos.  
Et foret in terram graviter prolapsa, repente  
Illi ni sociae studuissent tendere dextram.

Ut vires animi mulier divina recepit,  
 His comites verbis tentant lenire dolorem: 40  
 "Ecce, domus surgit Pilati non procul; uxor  
 Praesidis est mulier nulli probitate secunda:  
 Claudia, quam gentes celebrant et laudibus ornant.  
 Si placet illam adeas confestim, mater, eique  
 Quae tibi nunc crucient animum maestissima pande." 45

Illa gradu propero deserta per atria vadit,  
 Et subit interiora domus; hic aula patescit  
 Magna modis miris decorata; sed illa videt nil!  
 In curis defixa suis procedit in oecum...,  
 Cum mulier juvenis, cujus decus enitet ore, 50  
 Egrediens aula, malacam circumdata pallam,  
 Aspicit en oculis illam, deir comiter infit,  
 Suavis dum risus labris errare videtur:  
 "Tunc quis? Unde venis, aut quo, pulcherrima, tendis?  
 Quae vultu fulgent divini signa decoris, 55  
 Quamvis te magnus maeror divexet et angor!  
 Nil mortale tibi; quaedam caelestis imago:  
 Quot decus egregium forma!" Cui maesta Maria,  
 Suspirans imoque trahens e pectore vocem:  
 "Te supplex precor, audi me, Romana, per illam 60  
 In te quae apparet pietatem animumque benignum,  
 Ah! gemitus audire meos fac Claudia possit..."  
 Cui: "Dic... namque ego sum. Quid vis?... Tu Claudia? Primum  
 Cum te conspexi, talis sub corde petivi  
 Ut, mihi crede, foret Romani praesidis uxor. 65  
 Vir, quem Pilati ducit plebs ante tribunal,  
 Criminis est expers, perverso pectore poscit  
 Ejus supplicium, diversaque crimina fingit...  
 Ad te confugio, spemque in te fida repono:  
 Fac natum praeses duro de carcere mittat." 70

Claudia tum vero pacato pectore dicit:  
 "Filius ille tuus? Tu mater es illius? O vos  
 Alloquor, o caeli sanctissima numina, matrem  
 Ad me vos hominis misistis, si licet illum  
 Appellare hominem! Pelagi prope litora quondam 75  
 E navi turbis audivi forte loquentem  
 Illum: dicebat veluti sublatus in auris.  
 Doctrinam didici Graecorum, saepe vacavi  
 Artibus ingenuis, oratoresque Latinos  
 Legi, sed verbis illis nil dulcius umquam 80  
 Audivi, nil simplicius, nil altius umquam!



O quam doctrinam mihi perp̄lacuisset ab ipso  
Discere, quamque sequi tanti praecepta magistri!  
Ut cervus sitiens acedit fontis ad undas  
Ut lymphis sitis ardores exstinguat, ad illum  
Verae doctrinae fontem sic ipsa bibissem!"

85

Cui breviter fatur vultu demissa Maria:  
"Quae, Romana, mihi dixisti, pectora tangunt;  
Conjugis ast animum refert ne crimine foedet,  
Quo majus nusquam!... "Cui sic es, Claudia, fata:  
"Quid dicam? jam deficior pectusque vacillat.  
Ne tamen hic timeas, et saevas comprime curas.  
Illi subveniam; terram mare sidera juro.  
Sed mecum venias, maestissima mater, in hortum,  
Ut tibi cujusdam expediam mysteria somni,  
Quod, veniente die, vidi. "Post praesidis aedes  
Hortus enim cultus longe lateque patebat:  
Huc ambae veniunt, trichilae sub tegmine sidunt.  
Claudia voce loqui placida sic incipit: "Alta  
Nox erat, ut, rumpens taciturna silentia, miles  
Ad celsas venit Romani praesidis aedes,  
Ut Jesum captum prima sub luce referret;  
Quod mihi, crede, fuit pergrandis causa doloris.  
Pontius extemplo thalamo surrexit et ipse  
Convocat armatos, custodes, deinde tribunal  
Adpetit ut tantos casus inquirat et iras.  
Per noctem nulli valui dare lumina somno;  
Tandem sub prima paulisper luce quievi,  
Matutina meam cum turbant somnia mentem.  
Primum visa mihi ante oculos est Socratis umbra,  
(Hoc umquam fortasse tuas pervenit ad aures  
Nomen; sed tantum memorans id pectore laetor!  
Ille fuit sophiae lumen, sanctissimus unus  
Graecorum; capitis poena damnatus ab illis  
Talia sinceros docuit moriturus amicos,  
Ut non ad mortem trudi, sed scandere caeli  
Regna videretur), qui sic sermone locutus:  
"Me sine mirari! Deus est non quem sibi fingunt  
Humanae mentes: vos illum creditis esse  
Supra fumantes aras, ego lumine mentis.  
Ipsum quid Numen sit, non mihi dicere fas est,  
Non datur huic aevo. Templi modo limina pandam.  
Tempore namque brevi, postquam magnalia fiunt,  
Summaque res agitur toto memorabilis orbe,

90

95

100

105

110

115

120

Major erit quidam, sacros qui forte recessus  
 Eruat, et sancti penetralia ad intima ducat. 125  
 Hoc satis. Id dixi tibi, quae bonitas es; at unum  
 Nunc scito: non Elyseum neque flumina nigra,  
 Styx, Lethe, Phlegethum, Acheron, sunt nomina ficta;  
 Nec vero rigidus Minos hic iudicat umbras!  
 Est alius iudex, alii super aethera soles. 130  
 Hic parvae magnae virtutes, Claudia, fiunt,  
 Illae non secus ac fumus labuntur et umbrae.  
 Hic paucis animis tantummodo praemia reddit  
 Pro vita scelerum pura, pietate benigna  
 Omnibus est aliis veniam dat et aethera Numen! 135  
 Omnia quam supra tumulum diversa videtur!  
 Hic plus orbe valet terrarum lacrima fusa  
 Ingenuis oculis et pectore Numen amanti.  
 Has tu flere pias lacrimas, o Claudia, disce!  
 Quod jam nunc agitur, mihi non fuit ante reiectum, 140  
 Quodque per obscurum, longeque stupescimus, hoc est:  
 Maximus ipse virum patitur, majoraque multo  
 Quam quisquam est passus; fit candida victima caelo,  
 Et summum virtutis opus, summa omnia complet.  
 Idque hominum causa fit! Sed nunc surge: cave ne 145  
 Justum Pilatus damnet: divina propago,  
 Verus homo, verus pariter Deus, unus uterque.  
 Non deitas patitur, nequit; at natura secunda  
 Infandi vero suffert tormenta doloris!"

Hic siluit; leviter vanescere coepit in auras, 150  
 Sed fugiens clamat: "Nunc aspice, Claudia! Cerno.  
 Quid video? Circum tremere atque patere sepulcra,  
 Multaque funereo circumdata corpora velo  
 Surgere perque vias errare, nigrescere solem,  
 Et tetram noctem cunctis incumbere terris... 155  
 Paulisper caeli scinduntur, ab aethere missa  
 Clara venit lux; vir, conspersus membra cruore,  
 Regali cinctus roseam diademate frontem,  
 In nubem apparet referens insigne tropaei.  
 Exurgit supra tumulos numerosa propago: 160  
 Pars albata tenet ridentia lilia dextra,  
 Pars palmam fert et fulgenti murice vestem,  
 Effundunt alii dulcissima carmina, vota  
 Atque preces, alii conclamant: "Excute dextram,  
 Ipse tuam nostrasque neces ulciscere, Victor!..." 165  
 Multi etiam illorum manabant sanguine, fustum  
 Haustibus et cupidis sorbebant terra cruorem.

Cum illos spectabam magnos sufferre dolores,  
En subito surgit turbo, stridentibus alis,  
Involvitque polum late caligine tetra... 170  
Nec satis: hoc referens horresco: monstra tremenda  
Huc illuc totam video volitare per aethram,  
Tanta oculis inerat mors, tantus terror in ore,  
Ut, rupto somno, sudor perfuderit artus,  
Atque statim linquens altum tenerumque cubile, 175  
Cursorem misi (stellis aurora fugatis  
Induerat nondum croceo velamine caelum),  
Qui breve epistolium Pilato ferret: "Iniqui  
Vir quem Judaei duxere tuum ante tribunal,  
Nullius novae reus est, carissime, noli 180  
Justi te causae miscere. Propheta videtur.  
In somnis multas umbras horrendaque vidi.  
Parce pio, justumque juva: hoc te Claudia posco."

Haec cum dixisset, tacuit. Cui candida Mater,  
Sublatis oculis in caelum: "Quid tibi dicam? 185  
Quae mihi dixisti, jam nunc manifesta videntur  
Esse, sed hoc unum cupio tibi dicere: caeli  
Numina saepe vocas votis precibusque precaris:  
Ne Deus unus adest, hominum rerumque creator.  
Ille fuit qui convexo succendit in axe 190  
Astrorum luces, solem lunamque micantes.  
Illeque per vacuum statuit fundamenta mundi,  
Quo facto, genus humanum, permotus amore,  
Fingere constituit. Nam primum procreat Adam  
E cujus costa corpus tum conficit Evae. 195  
At leges et jussa Dei confregit uterque  
Et prima cunctos homines radice peremit.  
Sed Deus humani generis miseratus, ab altis  
Unigenam misit subolem, de Numine Numen,  
Ut mundi noxas crimen culpasque piaret. 200  
Nox cursu stabat medio, cum candida virgo  
Infantem divum peperit in Bethlemide specu.  
Aligerum plaudente choro, de montibus altis  
Pastores venere statim sua munera dantes,  
Et, stella duce, tum proceres Orientis ab oris 205  
Thus, aurum, myrrham Regique Deoque ferentes.  
Nondum bisenos Jesus compleverat annos,  
Cum primum Solymas venit templumque petivit,  
Ut votum paschale Deo persolveret ipse.  
Perdidimus puerum... per tres noctesque diesque 210  
Solliciti Joseph et ego quaesivimus illum;

In templo tandem, sacro mirante senatu  
 Propter divinam sophiam mentemque sagacem,  
 Comperimus. Rediit nobiscum. Conditus atque  
 Subditus usque suos puerilis temporis annos 215  
 Traduxit, donec per vicos atque per urbes  
 Proditus in lucem docuit caelestia turbas.  
 Dicere quis poterit miracula cuncta peracta?  
 O quotiens vitae defunctos reddidit ipse,  
 Et dedit auditum surdis mutisque loquelam, 220  
 E lectis aegri consurgunt atque per illum  
 Solis respiciunt clarissima lumina caeci!  
 Sese etiam atque etiam turbae retraxit ovanti,  
 Quae studio rebus miris ad scepra vocabat.  
 Sed nunc illius de vita et sanguine certat!...” 225

Conticet, atque suis oculis vaga lacrima stillat.  
 Claudia tum fatur lacrimans: “Ah, non morietur!”  
 “Heu, morietur!” ait suspirans maesta Maria:  
 “Ipse hoc praedixit, quod in imo pectore perstat.  
 Ipse mori statuit!... “Contra sic Claudia: “Mater, 230  
 Sermo tuus mihi nectar erat, nunc ecce dolore  
 Afficior, vulnusque iterum mihi sanguine manat!  
 Sed tu nunc oculos lacrimis averte liquentes.”  
 Adspexere diu sese; tum Claudia: “Visum  
 Nunc i, plura vetant lacrimas; sub lumine primo 235  
 Tecum mane petam fletum, nec sola, sepulcrum.

Mons. FRANCISCUS ALOISE

In Pontificio Seminario Regionale Pio XI.<sup>o</sup> Professor  
 REGGIO CALABRIA (12) in Italia

# PAULUS VI ATHENAEUM SALESIANUM EIQUE CONEXUM INSTITUTUM ALTIORIS LATINITATIS INVISIT<sup>1</sup>

A die quo primum, superiore anno, scholae Pontificii Athenaei Salesiani eique adscripti Instituti altioris Latinitatis apertae sunt, vehementer expectabatur Summi Pontificis adventus: qui et praesens tantam contueretur aedificiorum molem, et auctoritate sua incepta probaret, et magistros, alumnos, omnes hortaretur praesertim in paedagogiae studiis et latinitatis diligenter studioseque prosequendis. Quod tandem factum est die 29 m. novembris: quo die ad horam quintam postmeridianam undique ad Athenaeum Salesianum, in vico Salario Novo, conveniebatur.

Aderant, summum hospitem ut salutarent et venerarentur, in Athenaei atrio Em.mus Card. A. Traglia, Rev.mus D.nus Aloisius Ricceri —Rector Major Patrum Salesianorum—, D.nus Aloisius Castano —Procurator Generalis—, Rev.mus D.nus A. Coralli —Rector Magnus Athenaei—, aliique.

Summus Pontifex, postquam primariam Athenaei ecclesiam invisit in eaque pie Dominum in Sacramento salutavit et precatus est, sacro ritu lapidi auspicali bene dixit fundamentis inserendo Instituti Paedagogiae ac Disciplinarum religiosarum quod Filiae Mariae Auxiliatricis ad Pontificium Athenaeum exstruendum constituerunt. Quarum salutationis et reverentiae officiis cum se Pontifex Maximus dedisset, ad Institutum superioris Latinitatis se contulit, ibique aulam trecentorum auditorum capacem illamque suo nomine inscriptam —600 auditorum— quadam admiratione motus est ingressus.

In Aulam Magnam Athenaei dum intrat hilari vultu atque laeto omnes benevole circumspicit, manus protendit, gaudium ore significat, omnesque adveniendi Patri et Pontifici diu plausus dant. Ac dum ille medius in suggestu et cathedra sedet, *Schola Cantorum* scite periteque *Acclamations* Pontifici cantat; cui assident Em.mi Patres Cardinales Tisserant, Pizzardo, Masella, Cento, Cicognani, Capello, Agagianian, Giobbe, Confalonieri, Marella, Traglia, Antoniutti, Forni, Slipyj, Dante, Zerba, Bacci, Callori di Vignale.

Aderant quoque rei ecclesiasticae summae Potestates: e Sacra Se-

---

1. Cfr. *L'Osservatore Romano*, Lunedì Martedì 31 ott. 1 nov. 1966.

minariorum et Universitatum Congregatione, a publicis rebus Ecclesiae curandis, ab officiis, ab actis; Rectores item Universitatis Gregorianaе, Lateranensis, Sancti Thomae Aquinatis, Propagandae Fidei; Exc.mi Episcopi, Superiores Generales Ordinum et Congregationum religiosarum, amplissimi et reverentissimi viri linguam latinam excolentes et «Latinitatem» exsequentes. Neque deerant rei publicae et civitatis romanae primores: in quibus vices Praesidis gerens Senatus, Praeses Collegii rei publicae Constituendae, Administri, civium romanorum Magister, Legati.

Qui omnes cum sedissent, Rector Major venerabundus ad Pontificem accessit et cum reverentiae, grati animi gaudiique sensa prompsisset, paucis Athenaei Salesiani historiam contexuit, quod, Augustae Taurinorum quinque et viginti annos abhinc exortum, nunc tandem sedes in hac Urbis regione collocavit; in quo prudenti consilio constantique Superiorum conatu factum est ut praestantiores Congregationis Salesianae alumni et alii plurimi probata animi institutione erudirentur eaque in primis discerent quae ad puerorum et adolescentium humanam et religiosam conformationem spectant et ad paedagogiae christianae disciplinam.

Ut autem juventuti instituendae amplior navaretur opera quae in clericorum totiusque Ecclesiae redundaret bonum, Institutum altioris Latinitatis a Joanne XXIII Papa conditum, confirmatum a Paulo VI riteque constitutum, Athenaeo Salesiano adscriptum est.

Cum autem Rector Major orationi finem faceret ac sensus pietatis in Romanum Pontificem exprimeret, fidelitatis in Ecclesiae doctrinam, actuosae operae in prosequendam Concilii renovationem, schedam nummariam Summo Pontifici tradebat qua summa referebatur ab adolescentibus ubique terrarum degentibus collecta fami sublevandae

Deinde Pontifex Maximus se et hunc diem expectasse sua oratione dixit quo toti Familiae Salesianae ingens daret caritatis suae argumentum, Domino grates ageret, Supremis Rectoribus laudes tribueret quod —innumeris superatis rerum hominumque difficultatibus— has sacrarum disciplinarum aedes exstruxerint ad illam venerabilis Conditoris hereditatem suscipiendam operamque in Ecclesia prosequendam qua in pueris et adolescentibus erudiendis instituendisque Socii Salesiani toto orbe terrarum impenso labore totisque viribus curam et diligentiam ponunt. Quam eximiam omniumque maximam confirmavit esse artem qua mentes probe et sapienter formantur; labores a Sancto Joanne Bosco ad nostram aetatem susceptos in ineunda et prosequenda via humanae et christianae institutionis prudenter laudavit; hanc Athenaei sedem magnam dixit spem facere ad novos parandos in disciplina paedagogica magistros qui juventutem apte conforment; cumque vota nuncupasset ut Patrum Salesianorum incepta confirma-

rentur magisque amplificarentur, oratione latina his verbis de Instituto superioris Latinitatis deque ejus proposito et fructibus omnes est allocutus:

*Praeterea singulare studium oportet conferamus ad «Pontificium Institutum altioris Latinitatis», quod, auctoritati Sacri Consilii Seminariis studiorumque Universitatibus praepositi obnoxium, huic Athenaeo est adjunctum.*

*Rem nobilem ac praeclaram suscepistis, et acri ingenio magnoque animo perduxistis ad exitum, atque - hoc licet addere - non sine audacia; quod quidem religiosae Societati vestrae ornameto et decori vertit. Macte virtute, dilectissimi Nobis Salesiani sodales! Profecto hoc modo aliud caput praecelsae disciplinae, quam ab Auctore et Legifero Patre vestro quasi hereditate accepistis, laudabiliter servastis, ex quo videlicet humanus cultus Graecorum et Romanorum vobis est provehendus et celebrandus. Liberaliter etiam respondistis ei, qua Ecclesia angitur, sollicitudini inter clericos studia Latinitatis promovendi ejusque magistros instituendi; atque adeo Joannis Vigésimi Tertii, Decessoris Nostri, Constitutionem Apostolicam, a verbis Veterum Sapientia incipientem, ad effectum adduxistis.*

*Quae primo anno ex hac schola perceptae sunt veluti primitiae, sine dubio et laetae sunt et spem confovent bonam: scilicet ea est arbor, quae fructus jam tulit eorumque amplio rem copiam portendit in posterum.*

*Cum animi etiam gaudio accepimus Italicae Reipublicae potestates propter gravitatem et pondus disciplinarum, quae in hoc Instituto traduntur, jam benevolas se praebuisse quod attinet ad diplomata academica publice agnoscenda.*

*Quemadmodum par est - siquidem perfectio est semper expetenda - Institutum progressionem quadam oportet incrementis augescere, quae eo spectent, ut naturae suae congruenter iis inserviat, quae peculiariter eidem Scholae sunt proposita; distinguendi enim sunt duo ordines, duae methodi, duo fines hujus Instituti: altera pertinent ad exquisitae et reconditae doctrinae studia exercenda et ad philologam colendam disciplinam, altera potius ad usum et utilitatem, quibus plures fruuntur. Itaque non solum - quae est ejus praecipua causa - ad rationem optimorum studiorum, Academiarum propriam ii praeparentur, qui linguae Latinae, praesertim Latinitatis christianae, evadant peritissimi, sed etiam, quasi in inferiore gradu constituti, auditores sive ecclesiastici sive religiosi ibi Scholam linguae Latinae obeant egregiam quidem, sed tenuiorem multisque patentem, ut Romanum eloquium, quod communis fert usus, condiscant. In Apostolicis Litteris, quas Studia Latinitatis appellatas motu pro-*

*prio dedimus (A.A.S. LVI, 1964, pp. 225 ss.), hisce de rebus certae ac definitae praescriptiones continentur; nec dubitamus, quin ii, quorum est eas exsequi, omni cum diligentia sint curaturi, ut iisdem sapienter fideliterque obtemperetur.*

Cumque iterum omnes salutasset benigne, ad Ecclesiae firmum invitasset amorem, ad sedulum aliorum servitium hortatus esset, magistros laudasset, auditores ad studium et diligentiam incitasset, auspice ad omnia Maria Auxiliatrice, benedictionem impertivit.

Quo vero hujus diei perpetua in Athenaeo servaretur memoria suamque significaret benevolentiam, exemplar Codicis *B* photographice expressum tabulamque divini Salvatoris a Longaretti depictam Rectori Majori donavit; quo tandem laeti domos discessimus.

✱

JOSEPHUS MARIA MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor  
ROMAE in Italia



# GREX OMNINO POPULARIS EFFECTUS

*Hanc fabellam e Joannis Guareschi libro «Don Camillo» inscripto desumpsi; neque tamen ejus verba pro verbis in latinum transtuli.*

Deinceps dominus Camillus hanc fabellam narravit. Lupus quidam, improba fame incitatus, cum agros lustraret, ad pratum quoddam pervenit celsis ferreisque retibus, custodiae causa, saeptum.

Post retia, tutam quietamque vitam oves ducebant. Obambulavit stabulum lupus, ultroque citroque frustra discurrit, num quam maculam in retibus laxatam inveniret, num quod foramen. Unguibus demum tenacibus summopere nixus, fossam effodere est conatus, qua ferrea falleret retia. Frustra tamen omnia temptavit operamque tempusque perdebat; quin, vallum saltu superare conatus, ne medium quidem rete attingere valuit.

Tum demum ad portam stabuli accedens: «Pax —exclamavit— pax vobis! Deus omnium pater est. Leges Dei omnibus servandae!» Quibus verbis auditis haesitabundae accesserunt oviculae; quare improbus «Vivant leges!» clamavit, «legibus conjuncti omnes vivamus vimque tandem abiciamus! Stent arma, stet tandem aliquando vis!»

Cui oviculae: «Euge!» responderunt, «recte, Pol! Starent tandem arma»; herbulamque pergebant carpere. Inter haec lupus ad stabuli portam, humi, quietus subsedebat, otiosus diem absumebat cantiuiculasque cantitabat jucundas. Identidem surgebat ut herbam depasceret sub ferreis retibus enatam. Quod cum viderent: «Aspice, Pol, intuere! herbulam et ille decerpit. Quis diceret et lupos itidem ut nos herbam depasci?»

Quibus ille: «Non equidem lupus sum; ovis, ut vos estis ego sum; ovis nempe alia stirpe nata». Nonne cunctarum ovium conflanda erat societas? Nonne ovium cujusvis stirpis consilia studiaque in commune erant ferenda? Nonne popularis conjungenda societas? Se lupus ad omnia paratum praebebat, neque imperium aliquod sibi vindicabat, etiamsi ipse auctor popularis societatis erat, que se ne tenderentur ab hoste protegerent, ne lana sibi abriperetur, ne trucidandae lanio traderentur.

Consenserunt tandem quodam die oves cum lupi sententia eique portam patefecerunt. Qui cum stabulum iniisset exiguique gregis dux factus esset, antipopulares oves societatem purgandi causa dentibus

lacerare coepit, illas primas, scilicet, quae portam patefecerant eumque in stabulum acceperant.

Denique postquam totam ovium societatem purgavit neque ulla quidem earum reliqua supererat, laetitia exsultans exclamavit lupus: «En societas, en populus tandem concordia conjunctus! Eamus igitur ad alium gregem omnino popularem efficiendum!»

GUARINUS PACITTI  
latine interpretatus est

#### B I B L I O G R A P H I A

HOHL, E. — *Scriptores Historiae Augustae*. Editio stereotypa correctior. Edenda et corrigenda adiecerunt CH. SAMBERGER et W. SEYFARTH. Vol. I, pp. XXI-310; vol. II, pp. 308. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MCMLXV, 20 × 13 cm.

Haec editio continet in primis praefationem de codicibus scriptorum Historiae Augustae, in quo stemma codicum proponitur et de eorum praecipuis breviter disseritur. Sigla codicum et signa, quibus auctor criticus in editione utitur, offeruntur una cum libris et tractationibus quae ad rem pertinent. Textus incipit hac rubrica: "Vitae

diversorum principum et tyrannorum a divo Hadriano usque ad Numerianum". In singulis voluminibus addenda et corrigenda a Ch. Samberger et W. Seyfarth collecta et adjecta sub finem operis apponuntur. Vitarum notae, quas Carolus Lessing excogitavit, fideliter servantur. In altero volumine index rerum et nominum totius operis offertur. Gratiae quam maximae Bibliothecae Teubnerianae moderatoribus tribuendae sunt, quod editionem hujus operis, haud facilis inventu in aliis bibliothecis aut collectionibus, tam accuratam nobis obtulit.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

# DE SITU ARCHIABBATIAE OTTILIENSIS (St. Ottilien)

Monasterium Benedictinum die festo Epiphaniae anno MDCCCLXXXVII (1887) Emmingae (seu Ambingae<sup>1</sup>) in Bavaria superiore conditum ex sacello illius praedii pristini Sanctae Ottiliae<sup>2</sup> antiquitus dicato inde ab anno MDCCCIV (1904)<sup>3</sup> Ottiliense transnominatum<sup>4</sup> quingentis octoginta metris supra maris libram<sup>5</sup> situm est ad ferriviam triennio (1897 - 1899) factam et circiter festum Nativitatis Domini anno MDCCCIC (1899) feliciter inauguratam<sup>6</sup>, quae ab Augusta Vindelicum<sup>7</sup> praeter lacum Ambronem<sup>8</sup> per vicum Scondorfium<sup>9</sup>, qui est in litore occidentali, ad oppidum Vailhemium<sup>10</sup> du-

---

1. Hic locus in tabula quadam Vessofontana (*Wessobrunn*) anno 1019 primum commemoratus anno 1135 *Ambingen* dicitur et tribus saeculis post *Aembing* (anno 1420), deinde *Emmingen*, denique *Emming*: MÜLLER-HAHL, Bernhard: *Stadt- und Landkreis Landsberg am Lech* (Heimatbuch), Landsberg/Lech 1966, p. 86 et p. 470.

2. Secundum litterarum monumenta antiqua rectius dicitur Odilia. Haec virgo sacra floruit saeculis septimo et octavo, id est circiter annis 660 - 720. - Cf. MGH script. rer. Merov. VI (Hannoverae et Lipsiae MDCCCXIII), pp. 37 - 50. Vita Odiliae abbatissae Hohenburgensis.

De nomine *abbatissae* cf. ThLL I 49,33-39 et INSCR. christ. Diehl 1650 (*a. 514*) hic requiescit in pace Serena abbatissa sacra virgo. CIL X 4514 (*a. 569*) hic requiescit in somno pacis Iustina abbatissa fundatrix sancti loci huius.

Cf. AEVVM, Rassegna di scienze storiche linguistiche e filologiche, [*Mediolani*] 31 (1957) 438 - 448.

3. Die 2 mensis Novembris anno 1904: MÜLLER-HAHL, *op. mem.*, p. 86 et p. 469.

4. Cf. SVET. Dom. 13,3 (ed. Ihm, Stutgardiae 1961, p. 328,13) Septembrem mensem et Octobrem ex appellationibus suis Germanicum Domitianumque transnominavit. TERT. adv. Marc. 4,39,1,15 (CChL 1,650) Olim constitit de nominum proprietate, ei illam [*deberi?*], qui prior et Christum suum in homines adnuntiarit et Jesum transnominavit.

5. Cf. MÜLLER-HAHL, *op. mem.*, p. 469. - libra maris = *Meeresspiegel, nivel del mar, niveau de la mer, livello del mare*; cf. BACCI, *Lexicon*<sup>4</sup>, Romae 1963, p. 438: supra libram maris (*sopra il livello del mare*). TONDINI-MARIUCCI, *Lexicon novorum vocabulorum*, Romae 1964, p. 97: supra maris libram = *sopra il livello del mare*.

6. De his annis a Frumentio Renner, Reverendo Patre chronographo Ottiliensi, die 10 mensis Novembris anno 1966 benignissime certior factus sum.

7. Augusta Vindelicum = *Augsburg*.

8. Lacus Ambro = *Ammersee*.

9. Scondorfium = *Schondorf*.

10. Vailhemium = *Weilheim*.

cit. Quae via ferrata a septentrionibus ad meridiem versus ducta in statione Geltendorfiensi illi ferriviae transversa est, quae anno MDCCCLXXII (1872)<sup>11</sup> prospere aperta ab oriente ad occidentem fert, id est Monaco sive Monachio, ab urbe principe Bavariae, per Geltendorfium<sup>12</sup> et stationem Buchloënsensem<sup>13</sup> et Cambodunum<sup>14</sup> et stationes Imenstattensem<sup>15</sup> et Staufensem<sup>16</sup>, id est per Algoiam<sup>17</sup>, et per Lindaviam<sup>18</sup> praeter meridionalem lacum Brigantinum (seu Constantiensem) in Helvetiam. Ergo ferriviaria linea Monacensis et linea Augustana Geltendorfii decussatim concurrunt. Distat autem Geltendorfium ab archiabbatia Ottiliensi (ad septentriones versus) chiliometro sesquialtero. Quo fit, ut tantum tramina communia<sup>19</sup> in statione Ottiliensi subsistant, cum tramina citatiora nihil morata praetervehantur. Ab urbe autem Monaco, quae est in oriente, idem coenobium celeberrimum abest circiter quinquaginta chiliometris, similique intervallo ab Augusta Vindelicum, quae est in septentrionibus, distat. Denique prospectus ad Alpes Raeticas (sive Bavaricas et Austriacas), quae sunt in meridie, praebet mirabilis, nisi illa juga montium et colles planitiesque interposita nebulis vaporibusque, id quod non raro fit, obtenguntur. Item in meridie via Monacensis anno MDCCCCLIX (1959) ex integro mutata et dilatata et munita circiter tria quattuorve chiliometra distans Landsperga<sup>20</sup> Monacum fert. Quo fit,

---

11. Stationariis Geltendorfiensibus et Ottiliensibus maximas ago gratias, quod rem rogati me pridie Kalendas Novembres de illo anno certiores fecerunt.

12. Geltendorfium = *Geltendorf*.

13. LIBER PAROCHIALIS in BUCHLAV anno 1688 incohatus: ab anno 1701 pluries legitur 'buchloensis', anno 1715 'buchlensis', anno 1723 (et deinceps) 'Buchloensis' (pag 110), interdum 'Buechloensis'. — Pro hoc nuntio Laurentio Spies, parochus Buchloensi, gratias ago maximas (chart. cursualis die 9. m. Sept. a. 1966 benigne data). — Cf. DUSSLER, P. Dr. Hildebrand OSB, *Magister Hieronymus Tauler*, Kempten 1961, pag. 7, adn., 1: Buochlensis.

14. Cambodunum = *Kempten*; cf. ThLL Onomasticon II (C) 115,31-36.

15. Adjectivum 'Imenstattensis' primum legitur in libro parochiali anno 1613 incohato. De hac re me Constantinus Merk, parochus Imenstattensis, pro sua comitate et die 12 mensis Maji anno 1965 et die 8 mensis Junii anno 1966 certiozem fecit. Ei gratias ago multas. — Vulgo dicitur *Immenstadt*.

16. Staufa (*adj.* Staufensis,-e) = *Oberstausen*; de hoc nomine me Maximilianus Ostheimer, parochus Staufensis, anno 1965 comiter certiozem fecit. Ei gratiam plurimam persolvo.

17. Algoia (Algovia) = *Allgäu* (regio Alpibus Algoicis adjacens).

18. Lindavia = *Lindau*.

19. tramen commune = *Personenzug*, *tren ordinario*, *treno omnibus*, *comboio mixto*, *train omnibus*, *way train*.

20. Landsperga = *Landsberg*; cf. LEV(H)NER, P. Caelestinus, *Historia Monasterii Wessofontani (= Wessobrunn)*, Augustae Vindelicorum et Friburgi Brisgojae, 1753, praefatio: Landsperga.

ut archiabbatia Ottiliensis situ singulari muneribusque missionalibus praeclara oasis quaedam vitae monasticae precibus operibus studiisque insignis sit nihilominus intervallo nimio a sedibus locisque aliorum hominum non separata, sed multis viis rationibusque et consuetudine varia et servitio Dei praestantissimo tam cum popularibus quam cum extraneis artissime conjuncta.

CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.

Scribebam in archiabbatia Ottiliensi

Die 11 mensis Novembris anno MDCCCCLXVI

#### BIBLIOGRAPHIA

MARTIN, J. — LUCRETI CARI *De rerum natura libri sex*. Quintum recensuit Joseph Martin in aedibus B. G. Teubneri, MCMLXIII, pp. XXVI-285, 20 × 13 cm.

In praefatione hujus editionis codices Lucreti laudantur, praesertim codex membranaceus Leidensis Vossianus Latinus fol. 30 (O) saeculo nono scriptus atque etiam Leidensis Vossianus Quadratus 94 (Q) codex ejusdem temporis, qui inter praecipuos habentur. Auctor criticus in hac nova editione emen-

dationes quoque colligit ab Aemilio Orth in fasciculis "Palaestrae Latinae" editas. Ceterum quinta editio prodiit perpaucis tantum locis mutatis. Continet, praeter praefationem, testimonia varia vitae Lucreti, virorum nomina doctorum qui in apparatu critico adhibentur, conspectum siglorum, textum operis cum apparatu critico, indicem denique nominum praecipuorum, quae in opere occurrunt. Est igitur editio magna cura parata, quae magni apud doctos homines habetur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

## “GALILAE, VICISTI”

Julianus imperator, qui regni clavum 361-363 tenebat, magis sua a vera fide defectione quam ingenio militari notus est. Tamen hac indole jure in ducibus illustribus numerandus videtur. Nam cum gentes Teutonicae foederatae Rheno trajecto totam Galliam vastassent, Julianus nondum imperator eas pugna ad Argentoratum facta vicit victosque catenis vinctos ad Constantium imperatorem misit. Sed Persae Romanorum cervicibus ex saeculis insidebant nec fines imperii pacatos esse patiebantur. Quare Julianus bellum inferre constituit. Quod ut prospere conficeret, maximo exercitu magnoque apparatu bellico opus erat. Res admodum ardua multos deterrebat nec deerant, qui dissuaderent. Monebant enim itinera longissima, loca deserta, ubi morbi contagiosi grassari solerent, hostes arte bellica praestantes. Nec tamen cessit et rebus omnibus paratis pridie Idus Martii anno 363 Hierapoli cum exercitu profectus est. Transmisso junctis navibus Euphrate flumine magnis itineribus Carrhas in urbem, ubi Crassus anno 53 a. Chr. captis aquilis cladem acceperat, pervenit. Illic Julianus somniis tristibus agitatus est eademque nocte Romae templum Apollinis deflagravit et Sibyllae Cumanae libri comburebantur.

Duae a Carrhis in Persiden ferebant viae, quarum Julianus eam elegit, quae secundum flumen ducebat. Dum procedit, speculatores immixtis habenis advolabant et Schappurum Persarum regem fines transgressum nuntiarunt. Hac re cognita traditis Procopio spectatae virtutis aliquot, quae hostem tardarent, legionibus in meridiem digressus a. d. VI Kal. Apr. Callicum oppidum communitum petiit. Postridie nonnulli ejus regionis reguli genibus flexis coronam auream ei dederunt eumque suarum tribuum regem coluerunt. Eodem die classis permagna Samosata profecta Euphrate flumine advehebatur. Habebat mille naves onerarias cibariis, armis, machinis, tormentisque refertas. Numerabantur quoque quinquaginta triremes et rates. Inde accelerato itinere Ciresio potitus, aucto urbis praesidio et facto in flumine navibus ponte, a Solistio familiari, magnae prudentiae viro, obsecratus est, ut ab expeditione desisteret. Nisi Deorum iram placaret, in exitium ruiturum. Nec deerant omina funesta. Porticus enim ante ipsum Julianum subite collapsa quinquaginta milites ruinis sepeliit, inmanis tempestas ingruit, Jovianus, vir nobilis, fulgure tactus decessit, turbo validissimus tentoria abstulit et milites humi stravit, de decem tauris ante Martis aram mactandis periire novem. Nos, nostrae aetatis homines, ejusmodi portenta natura accidisse arbitramur nec facile ab iis, quae

gerenda proposueramus, deterreri solemus. Sed antiqui talia prodigia Deorum arbitrium, propositum confici vetantium ducebant.

Attamen Julianus fortuna fretus pontem perfecit et trajectis flumen Chaburem legionibus in hostium fines irrupit et, ut omnis reditus spem tolleret pontem rescidit. Deinde ex colle edito ad exercitum verba facit: Solere Persas fines Romanorum vastare et dignitatem imperii ludibrio habere. Se ipsum omnes praecessurum et, si cadere oporteret, libenter pro patria moriturum. «Bono animo estote et pericula et labores mecum tolerate. Victoria enim a jure laeso stabit».

Inflammati milites scuta sumere et imperatori acclamare, accendi maxime legiones Gallicae, quae ipso duce hostes omnes ad Rhenum fuderant atque fugarant. Jamque Julianus aciem quadratam instruit, mille et quingentos speculatores praemittit, pedites, quibus ipse praerit, in medio collocat, in ala dextra Nevittam cum aliquot legionibus, in sinistra Arinthaemum cum equitatu ponit. Novissimo agmini Dagalaifum Germanum praeficit. Ut hostibus speciem ingentis exercitus praebeat, copias diducit, impedimenta intercalat, classem eundem quem exercitum jubet tenere cursum. Timebat enim regionem sibi prorsus incognitam et hostis in fraudibus bellicis versatissimi calliditatem. Ideo nunc aquiliferos admonebat, nunc milites, qui metu percussi erant digressi, ad disciplinam revocabat.

Dum secundum flumen Tigrim procedunt, captis aliquot oppidis Ozagardanam ab incolis concrematam venerunt et concessa copiis bidui requie iter continuarunt. Postridie, ubi illuxit, galeae et Persarum armaturae procul fulgebant. Protinus Romani impetum fecerunt, ut hostes ne sagittam quidem mittere potuerint. Quo gavisus exordio regionem canalibus concisam transiere. Quos transgressi Pisisahoram incolis frequentem et aquis cinctam pervenere. Nocte fossis terra impletis et turri angulari arietis ictu collapsa incolae in arcem lateribus coctis munitam confugiebant. Jam imperator machinam peraltam, «oppidorum expugnatricem» dictam moenibus admovet. Quam incolae, ubi primum conspexerunt, oppugnatione molliti sese dedunt.

Quae dum geruntur, Persae aggeres interciderant et aquae erumpentes omnem circa regionem inundarant. Nec tamen iter multum tardatum. Nam milites utribus, naviculis ex corio factis caesisque palmis stagna late patentia transmittentes Majozamalchum devenere, quae urbs velut propugnaculum firmissimum iter in Ctesiphontem urbem intercludebat. Irrita per biduum oppugnatione aries altissimam subruit turrim, quae, dum corrui, magnam muri contigui partem summo fragore evertit. Nocte proxima imperator voluit ut cuniculi sub vallum adacti aditum oppidi patefacerent. Primo mane cornua sonant

et copiae e muro diruto et e cuniculis aggrediuntur. Custodes inopinati trucidantur et brevi post urbs occupatur. Magna hostium incolarumque caedes. Arci praefectus et octoginta obsides in deditionem accipiuntur.

Jamque subest Tigris, cujus ripam sinistram Surena, Persarum dux occupaverat una cum urbe Ctesiphonte. Norat enim Schappurus rex, quo loco Romani et quanto impetu essent aggressuri. Idcirco Julianus, ut hostium animum et a loco et a tempore impetus faciendi averteret, interjecta mora «equorum cursum» fecit, quem Persae facile e vallis spectare possent. Sed nocte appetente centurionem aliquem cum quinque triremibus ripam oppositam occupare jussit. Dum appropinquant, facium ardentium pluvia perfunduntur et triremes deflagravissent, nisi imperator reliquam classis partem auxilio submisisset. Egressis in ripam Persa equos loricatos et elephantos frustra obicit. Ardet proelium, cornua clangunt, hostes resistentes caeduntur, reliqui ad Ctesiphontis moenia repelluntur. Urbs sine difficultate capi potuit, nisi permulti Romani, ut in bello accideret solet, remansissent ut Persarum castra diriperent et caesos ornamentis spoliarent.

Victoria parta nil obstabat, quin Julianus omnes copias Tigrim traiceret. Sed convocato consilio deliberatum est, utrum urbem obsiderent necne. Ipse ad eorum sententiam accessit, qui Persas invictos usu norant et Schappurum cum summo exercitu brevi affore dicebant. Quare flumine adverso proficisci jussit spe adductus Procopium, quem praemissum supra demonstravimus, offensurum. Sperabat quoque regem Armeniorum, qui opem laturum promiserat, suas cum Procopii copias conjunxisse. Cum vis Tigris tanta esset ut vix naves adverso flumine veherentur, omnes una cum cibariis et armis comburi jussit. Fortuna, quae dextra dat manu, sinistra auferre solet. Hanc sortis vicissitudinem Julianus sensit. Nam cum itineris brevius faciendi causa a flumine recessisset, via est deceptus. Procedebat quidem exercitus, sed nec regis Armeniae auxilia promissa nec copiae Procopio commissae in conspectum veniebant. Jam manipuli Persici Ctesiphonte emissi segetes maturas comburebant et omnes circa regiones in loca deserta vertebant. Fervebat quoque calor aestivus. Multi milites fame, siti, defatigatione peribant. Reliqui salutem in solo receptu ponebant. Cui imperator vehementissime obstabat, cum diceret exercitum Romanum omnia in itinere vastasse et reditum sibi interclusisse.

Sub lucis ortum —16. 6. 363— nubes pulverea eminus conspicitur. Alii esse onagros putant, alii equites Saracenos, qui capta a Romanis Ctesiphonte sibi diripere licere sperent. Sed erat exercitus Persarum defessos et paene desperatos Romanos aggressurus. Fiunt aliquot diebus proelia levia, quibus legiones discedunt superiores, quamvis ab



hoste acerrime impetitae. Interim morbi saeviunt, inopia omnium rerum et aestus non ferendus multos sternit. Denique copiae tantopere exhauriuntur, ut biduum ad quietem dari oporteat. Die 26.6. exercitus iter recipit. Julianus noctem profectionem praecedentem scribendo —ut consuerat— in tentorio agebat spectris tristibus multum agitatus. Fortasse praeclara vitae anteactae facinora in mentem restituebat, cum se in palatio Lutetiae Parisiorum «Genium imperii» vidisse arbitratus erat. Eundem tum conspiceri putabat. Genius autem caput velatum habebat, nec in Juliani vultus intuebatur nec amicum erigebat.

Postero die, dum legiones, quae supererant, receptum continuant, imperatori aliquas agminis partes inclinari nuntiatur. Sese lorica nudum esse oblitus arripit scutum et mediam in pugnam irruit, ut disciplinam labefactatam restituat. At subito lancea a milite incognito vibrata lacertum leviter vulnerat, costas transfigit et in jecore haeret. Julianus ferrum e vulnere extrahere conatus manum laedit et viribus defectus corruit. Plagam Orebasius medicus curat. Vulneratus animus recipit, arma equumque poscit et, ut in pugnam redeat, surgit. Hac re plaga cruore multo effluente recrudescit. Moribundus in stramen recidit. Sciscitatur, quod sit nomen loci, ubi vulnus acceperit. «Phrygiam» unus ex circumstantibus respondet. Tum meminit sibi Antiochiae adulescentem dixisse sese hoc loco aliquando moriturum.

Jamjam se ad supremum exitum abripi sentiens exclamat: «Soi, me destituisti». Sed aestuantis pugnae tumultus tristitiam pellit. Intrat in tentorium Sallustius praefectus et animam agenti adest. Quem conspiciens Julianus: «Ubi est» inquit, «Anatolius meus familiarissimus?» «Beatus cecidit» respondet. Tum moribundus sua sorte non permotus amici amare deflet. Quo viso, qui adsunt, se amplius non continent et lacrimas fundunt. At ipse: «Dedecet imperatorem deflere, cujus anima in caelum est ascensura, ut in astrorum ignes ingrediatur». Dum omnes quiescunt, moriturus multum de vita futura et de animae dignitate summa loqui incipit. Laetari sese e corpore animae carcere egressurum. Largus de vulnere sanguis manare, imperator aegre spiritum ducere, potum poscere. Vix poculum labiis admovet, cum relabatur et anno aetatis trigesimo et secundo vix expleto animam efflat.

Exuviae in urbe Tarso ex ultima mortui voluntate conditae sunt. Ipsi Persae, virtutis imperatoriae indolem et audacissimam in ipsorum fines inruptionem admirati monimentum posuere leonem, cujus ex rictu fulgura emicant et nomen Julianum insculpserunt. Exclamatio autem morituri: «Galilaeae, vicisti» in fabulis historicis est numeranda.

P. NICOLAUS MANGEOT, S. J.

128 Burg Gemen, in Germania

# PER ORBEM LATINUM IN PRAESENS VIGET

## LINGUA QUOQUE LATINA IN GRATULANDO USURPATUR

Nondum ab hodierna consuetudine abhorret latine amicis gratulari. Lectores igitur oblectentur legendo hujus modi gratulationes per eleganti sermone latino conscriptas, quae —inter plures— in hanc Palaestrae Latinae sedem una alterave occasione pervenerunt quaeque quasi speciminis gratia tacitaque auctorum licentia in lucem a nobis vulgantur.

Ex Curia Romana PP. Claretianorum Rdus. P. Josephus M. Mir, C.M.F., gratulationem quam Rdmo. P. Petro Schweiger, Moderatori Generali, die 29 m. junii a. 1966 ipse dicaverat, humaniter fraterneque ad nos misit:

ADVOLANT  
E DISSITIS VNDIQVE TERRIS  
ROMAM  
SODALIUM VOTA  
FAVSTA GRATA SVPERNA  
EX IMO AVGVRRANTES PECTORE  
QVO DIE PETRVS ECCLESIAE PETRA FACTVS  
COMMÉMORATVR  
NOMINE QVO CAELITVS ADVOCARIS  
MEMOR VT IN VNO PERPETVOQVE CHRISTI SENSU  
FIRMVS CONSTANS NON DEFLEXVS PERMANEAS  
TECVMQVE  
QVOS FRATRES IN DOMINO MODERARIS

Dicaverat quoque Rdmo. P. Moderatori Generali ejus Vicarius admodum Rdus. P. Maximus Peinador, C.M.F., hos versus saphicos optima quaeque ei totiusque Congregationis Claretianae profectui adprecatus:

QUEM DIEM FAS EST CELEBRARE FAUSTUM  
PERPES AD CENTUM RENOVETUR ANNOS!  
NOSQUE POSSIMUS PARITER QUOTANNIS  
VOTA REFERRE!

Ex Archiabbatia Ottiliensi die 19 m. decembris carissimus amicus noster per quam Rdus. P. Caelestis Eichenseer, O.S.B., hanc nobis gratulationem dabat:

«In Festum Nativitatis Domini Tibi, mi Domine, Tuisque gratiarum plenitudinem precatus plenamque rerum prosperitatem Deum rogo, ut, qui Filii inhumanatione miseriarum nostrarum miseritus condicionem salvificam attulit vitae, deliciis eis Vos delectet, ea beatitate laetificet, eis denique gaudiis repleat, quibus **Conditor** universorum suos vult filios recreari Salvatoris humanitate mirabiliter suscepta benignissime et clementissime et benevolentissime deitatos.»

Paulo post, vertentibus jam festis Nataliciis Domini, in Urbe Roma Rdus. P. Josephus M. Mir, C.M.F., iterum elegantissimo suo latine dicendi genere lapidario vota pro Palaestrae moderatoribus ita faciebat:

FVLGENTE MEDIA NOCTE  
 INFANS NATVS EST BETHLEHEM  
 SPLENDORE ILLO VOCE ET ANGELI DVCTI  
 ACCVERVNT OVIVM PASTORES  
 FLORET DVM IN MANIBVS MATRIS PVER  
 ASPICIVNT LAETIQVE ILLVM ADORANT  
 QVI NON FANDO NARRAT DEI MIRACVLA  
 IPSE ET IN TVO CORDE VERBA LOQVATVR DEI

FVIT CLARA ILLA NATIVITAS  
 SIT HAEC TIBI GRATIOR ET SVAVIOR

**MONACHI ETIAM MONTISSERRATI LINGUAM LATINAM AMANT**

Abbatia Montisserrati, quae clarissima ad provehendam sacram liturgiam apud Hispanos arx quaedam celebratur cujusque Monasterii Monachi rerum liturgicarum peritissimi velut antesignani laude habentur, non tantum versiones vernaculas omnibus probatas ad sacros ritus peragendos merito edit verum etiam linguam latinam hodie excolere mimine dedignatur.

En lectoribus solemnibus novi Abbatiae Praesulis nuntius latine exaratus:

LAETI VOBIS NUNTIAMUS IN NOSTRO MONASTERIO MONTISSERRATI,  
 POSTQUAM NOSTER ABBAS COADIUTOR GABRIEL M. BRASÓ PRAESES  
 CONGREGATIONIS SUBLACENSIS NUPER FUERIT RENUNTIATUS:

**P. CASSIANUM M. JUST ET RIBA**

DIE I DECEMBRIS 1966 A MONACHIS IN ABBATEM COADIUTOREM  
 DELECTUM ESSE AC DEINCEPS DE MORE CONFIRMATUM.  
 IPSE VERO PER ABBATIALEM BENEDICTIONEM DIE XXI DECEMBRIS AB  
 EPISCOPO VICENSI IN ALMA NOSTRA BASILICA IMPERTIENDAM, DEO  
 AUSPICE, AD PASTORALE MUNUS ORDINABITUR.

AURELIUS ABBAS  
 ET CONVENTUS

IN ABBATIA MONTISSERRATI, DIE VI DECEMBRIS, A. D. 1966

Alterque nuntius nobis feliciter est allatus ex eadem Abbatia Montisserratensi, quem non possumus non edere propter veterem familiarissimamque nostram amicitiam atque consuetudinem cum Rdo. P. Leone M. Sansegundo, O.S.B., qui iisdem fere superioris mensis augusti diebus quibus Palaestrae Moderator Alabonae anniversarium eundem celebrabat, quinque lustra professionis religiosae peregit.

Latine ab ipso amico nostro Rdo. P. Leone M. Sansegundo, de Palaestra Latina tot rationibus bene merito viro conscriptam memoriam servamus eique fraterne in Domino gratulamur:

DOM LEO M. SANSEGVNDO VALLS  
 DOM BENEDICTVS M. MARTINEZ GIMENO

DIE XX AVGVSTI A. S. MDCCCXLI  
 PER BAPTISMVM MONASTICAE PROFESSIONIS  
 FRATRVM COMITANTE CONSESSV  
 LAETI CHRISTVM INDVEBANT

★

NVNC QVINQVE LVSTRIS IAM PERACTIS  
 TANTIS DONATI MVNERIBVS  
 LAVDVM PRAECONIA GRATESQVE CHRISTO  
 GAUDIO GESTIENTES PERSOLVVNT

MONTISSERRATI  
 XX AVGVSTI A. D. MDCCCCLXVI

**IN ACTIS QUOQUE DIURNIS DE LITTERARUM LATINARUM APPELLATIONE DISPUTATUR**

Plane mirum quod in actis diurnis non nulla interdum inveniamus quae, hac nostra aetate haud nimis litteris humanioribus secunda, ad linguas classicas attineant. Tamen aliquando, idque rarum,

merula invenitur alba. Jucundissime enim in ephemeride matritensi cui index «YA» diei 21 m. junii a. 1966 legimus quatenam rectior videatur liturgica litterarum latinarum appellatio.

Peritissimus scriptor E. Rabanal, qui saepissime lectoribus vocabulorum hispanicorum originem rationemque etimologicam disserte explicat, sententiam fert quam non omnes jure improbabunt, cujus rationes in tria quasi capita reducit.

Primum: Nemo in dubium revocabit quin una eademque ratio litteras latinas appellandi in sacra liturgia catholica sit necessaria omnibus nationibus usurpanda.

Deinde: Si philologicas rationes consideramus, neque italica litterarum appellatio quae ita sonat «dichere» (dicere), «Chesare» (Caesare), «parche» (parce), «oratsio» (oratio), «letitia» (laetitia), «añus» (agnus), «coñosco» (cognosco), cet. optabilior videtur quam hispanica quae «Cesare», «parce», «dicere», «oracio», «leticia», «agnus», «cognosco», cet. sonat, ita ut velut ultima et unica rei solutio ab omnibus accipiatur, neque potius hispanica quam italica (aut gallica aut anglica, cet.), cum omnis hodierna latine appellandi ratio propria natione indole linguistica vel propria

doctrina phonetica uniuscujusque populi fundetur.

Denique: Nulla aptior putanda via est ad unam eandemque linguae latinae ecclesiasticae appellandae rationem —quin neque invidiis domesticis mutuis neque simultatibus populorum locus habeatur— quam veterem illam romanam adoptare, non hodiernam italicam, quae tam nationalis ut reliquae recentiores videtur, sed appellationem illam qua Beatus Petrus et Paulus olim utebantur, id est, quam «classicam» vulgo vocamus. Reliquae enim recentiores omnes, sive italicam sive hispanicam ceterasve cogitamus, nullis titulis vel argumentis potiuntur quibus jure exportetur foras atque tamquam vehiculum unitatis vindicetur.

Quaestionem appellationis latinae patet ad speciem lucemque doctrinae philologicae ab auctore E. Rabanal tractatam esse. Ne cui tamen Palaestrae Latinae lectori nimis forte religioso res offendiculo esse possit, meminerit, quaeso, hanc litterarum latinam appellationem ratione quoque in primis pastoralis Ecclesiae —cujus maxime interest— pertractandam et in extremo definiendam. Sed philologica et socialia argumenta —nostris hisce temporibus quibus plurima retractantur novoque discrimini subiciuntur— minime ad certam definitamque rei solutionem parvi facienda videntur.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

Palaestrae Latinae Moderator

In Seminario Claretiano Alabonensi ad Caesaraugustam in Hispania

# BIBLIOGRAPHIA

PIANEZZOLA, E. — *Gli aggettivi verbali in -bundus*. XIII-227 pag. Sansoni Ed., Firenze, 1965.

Liber in iis computandus est quibus penitus tota res pertractatur; in eo enim evolvitur quid veteres, posteriores, recentiores scriptores de his adjectivis senserint. Plurima exempla exhibentur, in quibus significatio, ex doctrina semantica et stilistica, quas hodie dicunt, colligi possit. Postea, ex ipsa horum adjectivorum indole, singularis vis et qualitas ostenditur. Quibus auctor aliam addit notionem quae ex aspectu *imperfectivo* deducitur. Tandem, ut tota rei materia compleatur, quam plurima sequuntur exempla per quinque saeculorum aetates ab initio litterarum latinarum ad Apulejum: quibus omnibus consideratis, sententia Ae. Pianezzola plene perfecteque confirmatur. In extrema autem operis parte scriptor, quasi praefulgentis inquisitionis lampade praemunitus, minima —vel in dubiis vel in variis codicum lectionibus— perquirat, quibus argumentum illustrari possit; in singulis enim veterum scriptorum locis totius orationis tenor seu contextus proponitur, quis ea adhibuerit verba, qua aetate, quaque animi per-motio: in eoque, qui dicitur, stilisticae campo haec adjectiva verba plane constituuntur.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

MARTEN, R. — *Der Logos der Dialektik: Eine Theorie zu Platons Sophistes*. 260 pag. Walter de Gruyter, Berlin, 1965.

Opus sane difficillimum paucis multa et optima exprimere quae

hoc pretioso libro continentur. Dialectica, ut notum est, multam in Platonis doctrina partem habet; de qua quidem plurima R. Marten in suo libro disputat. Haec praecipua operis capita: 1. Dare et accipere, *das Geben und Nehmen*, id est formalis et materialis processus illius quod *logos dialecticus* appellatur; 2. Temptare, *das Wagen*, id est causa seu ratio ipsius *Logi dialectici*; 3. Intellegere, *das Einsehen*, id est ejusdem fundamentum et probatio. In prima libri parte sophistae viri et politici persona scite enodatur methodusque non dialectica philosophi et sophistae, quae in *Protagora* invenitur, rationi dialecticae *Sophistae* opponitur. In altera vero parte ea, quae ad veritatem et institutionem Sophistarum spectant, invenimus. Verum et via, quae ad illud ducit, non omnino eadem fiunt apud Platonem. Neque vero anima in se virtutem habet, quare ad perfectum duci non potest. De his omnibus fuse ac eleganter agit cl. vir R. Marten. Addas, velim, insuper accuratissimum ornatum typographicum quo domus editrix W. de Gruyter librum ad nos demittit. — J. ASPA.

MCDONALD, A. H. — *Titi Livi ab urbe condita*, recognovit et annotatione critica instruxit A. HUGH McDONALD, t. V: lib. XXXI-XXXV; XLV-309 pag., 25 s.

WATT, W. S. — *M. Tulli Ciceronis Epistulae*, v. II: *Epistulae ad Atticum*, lib. I-VIII. Recognovit brevique annotatione critica instruxit W. S. Watt; XXIII-329 pag., 25 s. Clarendon Press. Oxford, 1965.

Haec parvi laboris Livii codices

veteres ac recentiores, qui ad quartam Decadem spectant, conferre atque editores priores ac posteriores. Nam cum codices recentiores fere nonaginta sint, rationem jam a Johnsonio constitutam McDonald insequens, omnes recensuit ut plane discerneret qua fide archetypum et hyparchetypum, ut dicunt, referrent ab iisque penderent. Sedulo collati sunt: codex Placentinus; codex Bambergensis saeculo XI scriptus; recentiores codices saec. XIV et XV exarati; codices qui a Landulfo de Columna pendent; codices deteriores  $\alpha$ ,  $\beta$ ,  $\gamma$ ; codex Spirensis et Moguntinus; fragmenta Romana anno 1906 inventa. Spinosum ac laboriosum sane opus, tot conferre codices, quorum multi nunc primum praesto erant, ad novam editionem Oxoniensem parandam. A. H. McDonald, vir summa instructus doctrina, textum quartae Decadis libere recenset ejusque locos prudenter emendat. Quae autem ad orthographiam, ad sententiarum interpunctionem spectant eamdem ingreditur viam quam in primo volumine scriptam leges. In apparatu critico non tantum codices veteres recentioresque memorantur sed et aliae editiones, ac praeclari viri, qui de rebus Livii pertractarunt, laudantur. Hoc igitur maximae constantiae volumine quae saeculo praeterito reperta et investigata sunt de Livio, ad hos libros spectantia, justo iudicio continentur atque in usum sapientium et Livii cultorum praebentur.

Altero volumine, quo Scriptorum Classicorum Bibliotheca Oxoniensis augetur, editio Epistularum Ciceronis absolvitur, cum Epistulas ad familiares L. Cl. Purser uno volumine ediderit et alterum volumen Epistularum ad Atticum, quo libri IX-XVI continentur, D. R. Shackleton

Bailey evulgaverit. Cl. vir W. S. Watt in praefatione, brevi sed luculenta commentatione, quid de codicibus sentiat, exponit: qui, quantum ab uno archetypo derivantur, in duas classes manifesto discedunt. Communes harum classium lacunae, permutationes, additamenta, errores id evincunt unum idemque fuisse archetypum ex quo codicum scriptores textum sumpserunt. Restant quidem pauca vestigia aliorum codicum, quibus alterius familiae codices fuisse certo comprobatur. Ipse autem Watt codices Londinensem, Ravennatensem, Taurinensem, Parisinum, Berolinensem, Oxoniensem, Balliolensem, schedis fotograficis usus, contulit; ceteras vero lectiones ex editione a Sjögren parata desumpsit. Plenum tamen apparatus criticum, cum id in animo non habuerit, non praebet; monet tamen legentem cum lectio, ab eo proposita, discrepat ab ea quam omnes aut plurimi tradunt codices, aut in legendo inter se codices non consentiunt, aut aliquid mentione dignum aliqui habent. — J. M. MIR, C. M. F.

BOWERSOCK, G. W. — *Augustus and the Greek World*, XII-176 pp. in 8.°, 30 s.

PRING, J. T. — *The Oxford Dictionary of Modern Greek, Greek-English*, XVI-219 pp., 25 s.

RYDER, T. T. B. — *Koine eirene. General Peace and Local Independence in Ancient Greece*, XVII-184 pp. in 8.°, 42 s. Oxford Univ. Press, 1965.

Roma ultimo rei publicae saeculo saepe cum populis Orientis et Graeciae litigaverat. Ita Sullae, Luculli et Pompeji temporibus. Quo vero modo Augustus erga has gen-

tes sese habuit? Et qua gratia illae sub Romanis tum litteris tum civili scientia floruerunt? Haec omnia G. W. Bowersock in suo libro inquit novissimisque de hac re studiis scriptis utitur. Ita ea quae ultima rei publicae aetate acciderunt commemorat, quo modo magistratus romani in Oriente Augusti temporibus se gesserint, quae in re publica gerenda quorundam Graecorum imperatoris familiarium partes, quae Augustum inter et orientales reges amicitia, quae orientalium coloniarum administratio, quae orientalium civitatum Imperatorum temporibus vita et incrementum, quantumque litterae graecae et cultus Augusto principe processerint auctor tandem considerat. Tum philologi tum historici viri, ut credimus, magnam utilitatem ex hoc libro accipient.

*The Ox. Dic. of Modern Greek* optimus quidem nobis liber videtur; ipse enim optatissimus adest qui, etsi brevis, nostris tamen temporibus accommodatus, omnibus, his praesertim qui litteris vacant, summae utilitati erit. Multa veterum lexicorum ad nullam fere rem utilia verba ab hoc novo lexico sunt remota quo utiliora verba quae omnibus prodesse poterunt selecta sunt. Itaque ergo plurimis verbis nostrorum temporum rebus respondentibus atque omnium —paene dixerim— gentium litteris, lexicon augetur. Minime sermo quotidianus in libro negligitur nec multa illa vocabula quae ab exteris linguis procedunt. Tum explicationes tum interpretationes semper clare et accuratissime redduntur. Locutiones vero graeco sermone propriae multae, breviter tamen expositae, afferuntur.

Quae de *κοινῆ εἰρήνη* vulgata sunt studia nova fere dixeris quibus Ryder opus merito annumerari po-

test. Et auctor quidem locos, qui non multi exstant, in quibus inde a saeculo IV de *κοινῆ εἰρήνη* agitur, primo affert. Hi vero loci Diodorum Siculum omnes fere auctorem habent, serum quidem auctorem cuius vita in saeculum I a. Ch. n. incidit. Nihil dubium quin apud illos IV saeculi Graecos *κοινῆ εἰρήνη* pacem cum omnibus gentibus significaret. Omnes enim Graeciae civitates in libertatem vocatae sunt omnesque Graeci ad foedus conscribendum admissi. Quae omnia a M. Ryder per diversas aetates, annos inter 392 et 300 accuratissime considerantur, quae foederum sententia, quis cum legibus consensus, quibus in adjunctis patrata, cet. Hoc tandem cogere vult auctor: ut nostris temporibus pacem inter gentes magis tunc desiderari quam re vera apud homines commorari.

HANDLEY, E. W. — *The Dyskolos of Menander*, X-326 pag. in 8.º, Methuen, London, 1965.

Menandri *Dyscoli* textus, anno 316 a. Ch. n. compositus, anno 1958 primum in lucem editus est; quo ex tempore plurimae apud omnes civitates apparuerunt editiones, plurima studia. E. W. Handley textum editionis a Lloyd-Jones Oxonii anno 1960 vulgatae fere sequitur neque alias editiones quae his nostris temporibus apparuerunt negligit, *principem editionem et textum studium criticum*, quem Amstelodami clmus. vir Groningen anno 1960 vulgavit, respicit. In praefatione auctor fuse lateque de Menandro ejusque opere *Dyscolo* disputat; praesertim, quem locum *Dyscolus* in vita graeci poetae occupet, investigat. Commentarium, nostra sententia, optimum omnium quae ad *Dyscolum*



composita sunt facile evadit; omnia enim quae de *Dyscolo* antea dicta sunt in suum redigens, uniuscujusque locutionis sensum tum historicum tum linguisticum cl. Prof. Handley nobis declarat.

DODDS, E. R. — *Pagan and Christian in an age of anxiety*; XII-144 pp., 27 s. 6 d.

GOODYEAR, F. R. D. — *Incerti auctoris Aetna*, edited with an introduction and commentary; VII-244 pp., 55 s.

RAVEN, J. E. — *Plato's Thought in the making*; XI-256 pp., 27 s. 6 d.

WILKINSON, L. P. — *Golden Latin Artistry*; XIII-283 pp., 1966, 55 s.

ZUNTZ, G. — *An inquiry into the transmission of the plays of Euripides*; XX-295 pp. XVI-ill. 65 s.

CARR RIDER, B. — *The Greek House: its history and development from the neolithic period to the hellenistic age*. XII-272 pp., 53 fig., 25 s.

KIRK, G. S. — *Homer and the epic*; X-243 pp., 17 s. 6 d. Cambridge, University Press, 1965.

Multa quidem quae ad inferiorum imperii romani saeculorum religionem spectant ubique scripta inveniunt; sed nulla paene de hac re perfecta studia adhuc edita sunt. In sui libri capitulis Prof. Dodds quae fuerit inde a M. Aurelii temporibus ad Constantinum tum uniuscujusque hominis proprius religionis sensus tum paganorum et christianorum communis et sociologicae et psychologicae considerat quodque accidit non tantum, sed qua de causa acciderit monstrare intendit. Quid de mundo et de ipso ho-

mine ipsi homines antiquis illis temporibus senserint Prof. Dodds primum perinvestigat; quo deinde modo deorum sensus apud homines defecerit aperit lectori. De diversis religionum signis et significationibus non pauca affert auctor, quidque pagani de christianis et christiani de paganis existimaverint, ut ex multis illius temporis scriptis patet, tandem pertractat. Hunc Prof. Dodds librum studiosis sociologiae et religionum viris utilissimum judicamus.

F. R. D. Goodyear in sua *Incerti auctoris Aetnae* editione de duobus codicum familiis luculentissime primum investigat. Textus poematis huic codicum studio respondet qui selecto ac utilissimo apparatu critico, per diversas paginas distributo, completur. Sed praecipuum ac optimum in libro, ut nobis videtur, longum commentarium est qui a pagina 97 ad 212 protenditur in eoque omnia copiose ac diserte ab auctore pertractantur. Quae utilissima fore videntur ea F. R. D. Goodyear suis mandat commentariis neque rhetoricae unquam indulget amplificationi, cujus rei multa possumus exempla afferre. Hoc clarissimi auctoris opus Aetnae poematis non tantum studiosis viris, sed illis praesertim qui philologicae disciplinae operam dant maximae utilitati erit.

Platonis philosophia non tantum ea quae Metaphysica appellantur complectitur, sed ea omnia quae ad Deum, ad hominem, ad mundum aliquo modo referuntur. Quin etiam non pauci sunt homines qui Platonis Philosophiam eam tantum existiment quae "idearum ratio" vulgo dici solet. Sed clarus vir Raven quo modo ad mentem Platonis haec "ratio idearum" pervenerit et incrementum acceperit lectori demons-

trat. Hoc vere auctori laudi tribuendum quod ea quae saepe difficilia dictu videantur clare ac perspicue ab eo expediuntur. Aliquos praeterea praecipuos Platonis locos in hoc libro invenies selectos quorum sensus optime ab auctore enodatur. In extremo libro index bibliographicus apponitur qui anglicos tantum auctores complectitur.

Qui a L. P. Wilkinson scriptus nobis adest liber de poetica latina agit, id est, de numeris et modis, de syllabis, cet. Et auctor quidem, sonu ac motu poeticae artis latinae totus captus ac illectus, de eo quod intimum in litteris latinis est agit et de voluptate quam numerorum ac modorum ope in contemplanda percipit elegantia. In prima libri parte de difficultatibus, quae ex cujusdam antiquae linguae prolatione ac de musica verborum oriuntur, disceptat. Etiam de harmonia quae sonuum imitatione seu onomatopeia fit loquitur. In altera vero parte numerum et modum pertractat. Longum tandem studium latinarum litterarum tum poeticae tum solutae orationis ut artis operis librum claudit. Sed hoc velim advertas formam et verba elocutionis non separari sed in unum ab auctore conjungi.

Byzantiis codicibus *a* et *b* 19 Euripidis opera optime asservantur quorum novem hi codices unicum testimonium existunt. Centum annos post Constantinopolim urbem expugnatam descripti hi codices velut culmen totius Euripidis traditionis evadunt. Sed quo modo inter imperii romani ruinas haec opera integra permanserunt? Quis horum codicum auctor et qua de causa eos descripsit? Quibus testimoniis seu fontibus usus est? His quaestionibus Prof. Zuntz luculentissime respondit nobisque difficultates traditionis

Euripideae solvit. Primum enim codices *a* et *b* ab eo quasi enucleantur ita ut quam inter se conjuncti sint et in novem ex operibus *P* ab *L* directe pendere plane demonstratur. Alios praeterea inquirat papyros quas cum medii aevi confert codicibus ad operum historiam inde ab Euripidis temporibus deducendam. Et Prof. Zuntz quidem in investigando clarum virum Turyn sequitur, etsi multa ejus argumenta rejicere tenetur.

B. Carr Rider liber de domo graeca, anno 1916 primo in vulgus editus, his nostris etiam temporibus utilitati est propter archaeologicas notitias quarum fides novissimis inventis firmata est. In hoc enim libro domus graecae historia inde a neolithicis dictis temporibus ad hellenicam usque aetatem percurritur. Quin etiam de palatiis graecis fuse ab auctore disseritur. Ut librum suum iterum componeret atque recognosceret plurimis, quae in commentariis omnium civitatum appaeruerunt, scriptis usus est auctor. Plus quam 50 tabulis depictis ornatur etiam liber.

Novimus jam G. S. Kirk magnum opus *The Songs of Homer*, non ante hos multos annos vulgatum. Nunc ejusdem libri in brevius coactam editionem omnibus lectoribus tradit auctor, cujus libri eadem fere materies in hoc altero asservatur. Itaque originem Homeri poematum intendit liber explicare Iliacique carminis compositionem in VIII saeculum incidere facit, in VII vero ineuntem Odysseam. Ut supra diximus prius opus valde coartatum est, ut in capitibus in quibus de primis Homeri carminis elementis, de epo Aethaeo et Aeolico, cet. agitur. Prof. Kirk ordinem capitulorum mutavit eaque accrevit. Opus tandem omni-

bus utilissimum judicamus his praesertim qui in epicis quaestionibus primo participes fiunt.

GRUBE, G. M. A. — *The Greek and Roman Critics*, XI-372 pag. University Press, Toronto, 1965.

Auctores graeci et romani omnia fere litterarum genera invenerunt eorumque de litteris existimationes multum apud omnium temporum homines semper valuerunt. M. Grube, in Toronti Universitate Professor, hoc intendit, quid scilicet graeci et romani de litteris inde ab Homeri temporibus ad tertium usque post Ch. n. saeculum existimaverint, investigare. Quare volumina graeca et latina ipse persequitur quidque de generibus litterarum antiqui scriptores scripserint nobis ostendit. Breviora quidem de Homero, de Hesiodo, de Pindaro, de auctoribus tragicis et de sophistis affert; affluenti-  
us tamen de Aristophane, de Theophrasto et de Demetrio loquitur; etiam de Cicerone, Quintiliano, Horatio, Tacito aliisque multis, tum interpretibus tum grammaticis. Opus M. Grube optimum judicamus omnibusque litterarum humanarum magistris atque studiosis viris vehementer commendamus.

KESTERS, H. — *Kérygmes de Socrate*, Essai sur la formation du message socratique, 176 pp. in 8°. Nauwelaerts, Louvain, 1965.

Hic liber *Clitophontis* obscuritates aperire vult. Etenim clari illius Aristotelis *Protreptici* pauci tantum loci ab antiquis scriptoribus, a Jamblico in *Protreptico* praesertim, vel allati vel imitatione simulati manent. Aristotelis *Protrepticon* forsitan restitui possit, opus tamen difficile et longum videtur, quo major Kesters auctori debetur laus qui hanc

rem sibi arripuit. Ipse emin inter Jamblici *Protreptici* antiquissimos fontes illud investigat quod Clitophon, *orationis socraticae* nomine, affert quique verus προτρεπτικός λόγος est. Ita enim eorum temporum virorum iudicium primum habemus. Sed hoc *Protrepticon* in alio etiam opere invenitur, in Themistii XXVI oratione idque philosophicae eloquentiae utilitatem demonstrare videtur. In hac oratione H. Kesters ipsum opus videt quod Clitophon redarguit, in qua insuper et in Clitophonte opposita de Socratis doctrina videt argumenta, *Protrepticum* vero nihil aliud quam socraticae eloquentiae esse ostentationem, quam ipse confutat Plato, intendit demonstrare. Ex his omnibus fit ut auctor, in aliis multis, Clitophontis fidem existimet vindicare. Magna quidem subtilitate atque perspicuitate ea quae *Protrepticum* attingunt pertractantur. Argumenta stylistica, rhetorica, cet. adhibentur.

LILJA, S. — *Terms of Abuse in Roman Comedy*, Annales Acad. Scient. Fennicae, ser. B, t. 141, 3, 117 pag. in 8°. Helsinki, 1965.

In hoc brevi *Academiae Scientiarum Fennicae* volumine vocabula contemnendi a comoedia romana usurpata evolvuntur. In primo capitulo horum verborum linguisticum sensum considerat auctor; in altero vero quam ad instituta civilia haec verba habitudinem habuerint quaeque rerum civilium mens et sensus apud antiquos exstiterit; in tertio vero argumenta concludit graecamque ad comoediam — ad Menandrum — oculos aliquantulum convertit. Optime etiam auctor facit quod in aliquibus paginis, 78-81, rerum descriptiones ac rationes affert.

LIPPMAN, E. A. — *Musical Thought in ancient Greece*, X-216 pp. in 8.°, Columbia Univ. Press. London, 1964, 37 s. 6 d.

Hic Professoris Lippman liber primus est eorum quos ipsi toti musicae historiae, ad saeculum usque XX, in animo est dedicare. Musica equidem —ut in praefatione ipse auctor animadvertit— omnes disciplinas invadit quia musica omnibus fere hominis adest actionibus unde musicae universalis historiae oritur necessitas. Quare quae de musica cogitata atque apectata sunt haec praesertim auctoris animum in se convertunt. Sed minime musicam suae potestatis facit, sed qui fuerit musicae locus praecipuus in tota vita antiquorum graecorum demonstrat. Itaque ergo musicae usum in cultu deorum, in caerimoniis, in pueris instituendis describit. Quid Graeci de harmonia primo senserint, quid de his quae ad musicam et mores simul pertinent quidque de illis quae de harmonia a Peripateticis mutata atque erecta sunt deinde verbis exequitur; neque quanta Presocratici, ipse Socrates, Plato. Damon, Aristoxenes, Theophrastus addiderint auctorem praeterit. Liber non tantum musices studiosis viris sed etiam philologis et philosophis utilissimus erit.

DUDLEY, D. R. — *Lucretius*: Chapters by D. R. Dudley, B. Farrington, O. E. Lowenstein, W. S. Maguinness, T. J. B. Spencer, G. B. Townend, D. E. W. Wornell, IX-166 pag. Routledge et Kegan Paul, London, 1965.

Maximam nobis affert laetitiam quod Birmingham Universitas novam de sudjiis latinis Collectionem

in vulgus emittendam arripuerit. Et ipsa quidem litteras latinas atque scriptores inde a primis rei publicae temporibus usque ad renatarum litterarum tempora omnes romanarum rerum studiosos viros docere sibi proponit. In unoquoque volumine tum de latinis auctoribus, tum de aliquo latinarum litterarum genere, tum de praecipuis ipsius Romae temporibus ac rebus diligenter auctores cogitabunt Etenim in his qui adhuc vulgati sunt voluminibus, in primo de Cicerone agitur, in altero —quod quidem nobis nuntiandum venit— de Lucretio, in tertio vero de theatro romano. En res et auctores quos in hoc optimo volumine invenies: I *The Pre-Socratics, Lucretius, and Modern Science* (Lowenstein). II *Form and Purpose in the "De Rerum Natura"* (Farrington). III *The Personal World of Lucretius* (Wormell). IV *The Language of Lucretius* (Maguinness). V *Imagery in Lucretius* (Townend). VI *The Satiric Element in Lucretius* (Dudley). VII *Lucretius and the Scientific Poem in English* (Spencer).

KLEIN, JACOB. — *A Commentary on Plato's Meno*; 256 pag. The University of North Carolina Press, Chapel Hill, 1965.

Qui liber Platonicum *Menonem* nobis considerandum praebet de moribus dialogum primo eum facit nosque omnes iudicium partes accipere vult. Cum Socrate disputantes duo invenimus in opere viros: Menonem juvenem thessalicum qui, ut ex aliis locis accipimus, non asperendas habuit partes in seditione adversus Artaxerxen II, Persiae regem, fratrem et Anytum Atheniensem qui accusationes olim adversus Socratem movit. Tum Socrates, tum

Meno, tum Anytus ut re vera sunt et verbis et factis se praebent. Socrates quidem ut si ipsa ἀρετή — id est hominis plena excellentia — esset; Meno ut homo discendi omnino imperitus; et Anytus qui Athenarum urbis omnino jam perditae effigiem gerere videtur. In prima dialogi parte Meno ipsa ignorantia est. In secunda vero parte Anytus δόξα quae verae scientiae opponitur demonstrat. J. Klein singulas dialogi partes percurrit. Platonici Menonis vis dramatica optime toto libro exprimitur. Auctor denique textum exponit simul et interpretatur.

GRANT, W. L. — *Neo-Latin Literature and the Pastoral*. 434 pag. The University of North Carolina Press, Chapel Hill, 1965.

Neolatarum litterarum nomine plurima designantur opera, tum versus tum oratione soluta, renatarum litterarum atque artis barocae temporibus in Italia, in Germania, in Gallia aliisque civitatibus composita. Et hic quidem liber non absolutam totius litteraturae historiam affectat. Duo tamen prima capitula optimum orationis solutae, dramaticae et poeticae eorum temporum conspectum praebet. Maxima vero libri pars quas formas illa, quae pastoralis poetica dicitur, inde a XIV saec. ad XVIII acceperit, alte scrutatur. W. L. Grant, in Columbiae Universitate Professor, plurima pastoralia loca interpretatus est atque suo libro intulit. Ita locos Vergilii, satirae exempla, laudationes, convicia, cet. invenies. Et haec quidem litteratura non grammaticorum tantum opus est, sed optimatum, parasitorum, militum, episcoporum, cet. Quae varietas auctorum et rerum quanti momenti haec omnium fere

civitatum litteratura fuerit ad vernacula scripta componenda demonstrat. Dicendi tandem forma, quam auctor adhibet, clara atque elegans, omnibus gratissima erit.

THEILER, W. — *Zur Geschichte der teleologischen Naturbetrachtung bis auf Aristoteles*. Zweite Auflage. 109 pag. Walter de Gruyter, Berlin, 1965.

Ante hos quadraginta annos prima hujus libri editio Tiguri et Lipsiae in vulgus emissa est. Sed iterum domus editrix Berolinensis W. de Gruyter opus, quod jam diu librariis deerat, edendum curavit. Textus quidem hujus editionis idem est atque ille qui primae inerat; alteram vero praefationem auctor adjicit in qua aliquas quae suae opponuntur sententias recognoscit. Index praeterea appositus utiliorem librum reddit. Ut auctor existimat Diogenes Apolloniates primus mundum non casu aut caeco quodam instinctu constitutum esse defendit, sed praeclara providentia divina, qua duce, omnia ad finem dirigantur. In Platone autem teleologica sententia maximi est momenti ut in *Phaedro* et in *Timaeo* videre licet.

JESUS ASPA, C. M. F.

PIAZZINO, C. — *Humanitatis Magistra*, volume I, 278 pp., 900 L.; volume II, 371 pp., 1200 L. Editorial Paravia & C, Torino.

Juxta Ministerii Institutionis Publicae mandata die II m. maji a. 1965 in lucem vulgata, in quibus statuitur ut primo Lycei vel Instituti anno "Morphologia (declinationes, pro nomina et verbi flexiones) et prima syntaxeos elementa dentur, atque versionis ex lingua latina et

in linguam latinam exercitia itemque textuum pro alumnorum humanitate adquisita lectionem componantur", auctor haec omnia in duo volumina distribuere voluit ut alumni in linguam latinam libentius incumbant eamque melius mente percipiant retineantque.

In alio quidem volumine morphologia verbique flexiones exponuntur. Nimias philologiae quaestiones auctor praetermisit et ne alumni has notiones sine consilio et ratione ediscant, eos de linguae italicae quaestionibus linguae latinae similibus certiores facit.

In alio vero volumine primae syntaxeos notiones, morphologiam verbumque expectantes, a Ratione Studiorum praescriptae, pedetentim explanatae sunt. Sunt vero quaedam imagines, quibus oculi et mens ablectantur. Alia exercitia sunt textus ex Romanorum scriptis excerpti, ut alumni regulis expositis exerceantur; alia lectionis textus cum notis ut alumni vertere asuescant.

Haec nobis minime placuerunt: exigua claritas paginaeque nimis refertae. Majorem imaginum abundantiam maluissemus minutionemque exercitorum.

GOUROU, P. — *Nouvel atlas du monde*, 112 pp. Editorial Hachette, Paris-Bruxelles, 1965.

Tabularum geographicarum volumen, ut hujus temporis humanitatem foveat, non tantum terrae continentia eorumque regiones numerare debet, sed etiam quaestionibus a sapienti discipulisque expositis respondere. Et Petrus Gourou, in gallico Collegio professor, haec omnia intendere conatus est.

In tabulis enim et rationes demographicae oeconomicaeque longe

lateque indicantur et locorum multiplicitas nobis parumper explicatur. Auctor de novis nominibus geographicis notitiam dat. Volumen et tabularum et nominum et rationariorum doctrinae oeconomicae indicibus a principio orditur.

Nimiam claritatem, typorum pulchritudinem colorumque varietatem, quibus oculi et mens recreantur, admodum laudamus. Et hac de causa tabularum geographicarum volumen omnibus valde utile esse dijudicamus.

PETRUS, J. -- *L'antiquité racontée aux enfants*, album de 60 pp. Editorial Nathan, Paris, 1965.

In opere, quod lectoribus vulgamus, magnae in antiquitate res gestae pueris enarrantur. Illos homines, qui olim in admiratione erant, in 168 imaginibus agnoscimus una cum notis locis monumentisque et in 19 tabulis geographicis ubi res gestae vel monumenta sint nobis indicantur.

Hoc volumen laudamus quod puerorum psychologiae valde aptatum est atque summa typorum, imaginum et textus claritate abundat.

HOLBÖK, F. - SARTORY, Th. — *El misterio de la Iglesia (fundamentos para una Eclesiología)*, 2 volúmenes, 624 pp. y 764 pp. Ed. Herder, Barcelona, 1966, 680 pesetas.

Opus, quod offerimus, a clarissimis linguae germanae theologis accurate conscriptum est. Unusquisque auctor unam, regulas operi impositas secutus, quaestionem laboravit evoluitque. Qua de causa duo volumina magnae utilitati omnibus esse possunt ut "Mysterium Ecclesiae" melius cognoscant atque mag-

ni habetur eorum labor ad "Constitutionem De Ecclesia" Vaticani II penitus intellegendam, quod quaestiones fuse lateque pertractantur. Ideo quaecumque ab auctoribus huius temporis de "Ecclesiae Mysteriorum" dicta sunt in opere possumus invenire.

Duo volumina ex duodecim longis capitibus conficiuntur, ex eis nonnullae sunt disputationes monographicae. Unumquodque caput optima et recentissima librorum nota concluditur.

Opus aperto et simplici studio favendi oecumenicae unioni atque dialogo inter omnes Christifideles conscriptum est.

Ex auctoribus haec nomina, ab omnibus notissima, tantum vulgamus: Thieme, R. Schnackenburg, A. Auer, E. Lanne, T. Sartorg et Wolka... Horum omnium scripta nobis valde placuerunt quod praecipuae "Ecclesiae mysterii" quaestiones evolvuntur atque ad investigationum huius temporis lumen enodantur. Quam ob rem exoptamus ut opus secundum eventum obtineat, praesertim vero apud eos qui his studiis vacant.

LEBRET, J. L. — *Dinámica concreta del desarrollo* (versión castellana de MARÍA LUISA MEDRADO), 560 pp. Ed. Herder, Barcelona, 1966, 380 pesetas.

Aloisius-Joseph Lebet, semper earum rerum quae hominibus maxime necessaria sunt studiosus statuque rerum atque discrimine anni 1936 motus studiis Oeconomiae Humanitatisque — "Economie et Humanisme" — fovendis condidit Societatem. Quo intenditur ut oeconomia civium progressui sic augeat ut hi beatiorum gerere vitam possint;

iterumque anno 1958 "Eruditionis Investigationisque Societatem inter nationes quae progressu et evolutione amplificantur" (IRFED) instituit ut in ea viri disciplinae oeconomicae periti formentur.

Auctor, et Instituti Nationalis Investigationis Scientificaе praeses et Sancti Pauli Universitatis "Honoris causa" doctor et oeconomicus senegalensis libanaeque administrationis consiliarius, nobis hoc volumine investigationum a nonnullis studiosis viris atque in aliquibus locis ipso duce factarum summam offert. Quam ob rem in eo collectionem invenimus rerum, quae per triginta annos et labore et investigatione et experientia repertae sunt, praesertim in Brasilia, Columbia, Viet-Nam, Senegale et Libano, ut in pag. 18 nobis aperte ipse auctor indicat. Ideo fere omnia huius voluminis verba priorum locorum ante oculos habentes cognitionem auctores conscripserunt.

Opus his partibus conflatur: quare progressus a civium vita disjungi non possit et quae maxime propria sit progressus ratio; quae rei oeconomicae sint principia quaeque ei perpendendae subsidia; qua ratione augeatur progressus, pertractatur. In fine libri necessariae condiciones ut progressus per totum orbem crescat numerantur. Opus plurimis abundat imaginibus quae lectori utilitati sunt ad cogitata, jam antea explicata, melius comprehendenda atque retinenda.

Maximas laudes auctori dicamus opusque omnibus horum studiorum tam peritis quam studiosis libenter commendamus quod in eo quae vera progressus ratio sit et quae ut homo beatiorum vitam gerat necessaria videantur inveniuntur.

ALLPORT, G. W. — *La personalidad (su configuración y su desarrollo)*, 692 pp. Ed. Herder, 1965, 520 pesetas.

W. Gordon Allport, rerum psychologicarum ab anno 1930 in clarissima Harvard Universitate professor, inter cultores hujus scientiae est notissimus. In ejus enim opere omnes singulaeque hujus temporis humanitatis opiniones confluunt et, auctor sciendi studio motus, in omnibus rebus quae ad humanitatem pertinent, praesertim vero in scientiis vulgo appellatis "positivis", ut psychoanalisi, sociometria, psychologia clinica, cet..., maxime se exercere curavit ad hominem penitus cognoscendum. Qua de causa opus, quod offerimus, plurimum laudamus maximaeque alumnis et magistris utilitati esse censemus.

In hoc volumine auctor recentissimas "personalitatis" investigationes, ut existentialismum, phaenomenologiam, therapiam ad aegrotos expectantem et "ego" psychologiam, accurate probat; ideoque in eo summam earum rerum, quae de "personalitate" hucusque ab auctoribus dicta sunt, invenimus. Tamen vero in nullam se vertit opinionem.

Opus ex his agitur: de hominis indole; qua de causa indicatur quanti praetii sit vita hominis; amplissime de "personalitatis" probatione, praesertim vero de "ego" notione ut clavem ad omnes cognitionis et tirocinii processus detegendos invenire possimus; de primis "personalitatis" proprietatibus, quibus hominis —ut talis— dispositiones adjunguntur ut melius cur sic se habeat homo comprehendamus; de investigandi et explorandi rationibus in primisque de eloquendi genere

et arte; de perceptione, "empathia", comprehensione ad directo "personalitatem" agnoscendam et de propriis psychologi facultatibus. Insuper vero in volumine et amplissima rerum exploratio invenitur et facta attente acuteque explicantur et aliorumque opiniones aperte dijudicantur.

ALCONA, L. — *Cuestiones de Psicología*, 867 pp. Edit. Herder, Barcelona, 1966, 620 ptas.

Opus, quod Palaestrae lectoribus valde perplacet offerre, novum est quod in eo communes psychologiae quaestiones ab omnibus jam notae iterum pertractantur atque diversis lectoribus —medicis, paedagogis, psychologis...— utilia hujus disciplinae elementa artificiose proponuntur. A XIX italicae linguae professoribus, qui amplam in his edocendis rebus eruditionem atque conspicuam in scientiis "positivis" quae dicuntur cognitionem habent, elaboratum est hoc volumen.

Opus ex duabus constat partibus: in alia quaestiones a majoribus traditae et notae, ut "informationis, tirocinii et motivationis processus" et de "personalitatis" fuse pertractantur; in alia elementa et principia, quae psychologica exploratione variis rebus —ludo, coetui, schola aptationi— adaptata sunt probantur. Ut omnes quaestiones, hic explicatae, maximae Italis essent utilitati, tam investigationibus clarorum scriptorum linguae anglicae, germanicae, gallicae, italicae in hac disciplina quam propriis usi sunt auctores. Qua de causa in eo recentiores hujus temporis psychologorum opiniones summatim invenimus. In fine uniuscujusque capitis de re tractata librorum notitia datur.



HERRERO, V. J. — *Introducción al estudio de la filología latina*, 387 pp., Editorial Gredos, Madrid.

Professor Victor J. Herrero suo opere viris in philologiam latinam incumbentibus esse adiumento intendit ut alumnorum studium sit jucundius et Romanorum humanitate linguaeque pulchritudine oblectentur. In hoc volumine tantum dantur elementa ut alumni in posterum laborent atque quaestionum, summam hic explanatarum, investigationi vacent. Ideoque ut labor facilius sit ratione seu methodo historica ad rem tractandam utitur auctor.

Opus his partibus conflatur: caput in quo de philologia in genere et praesertim latina agitur; de fontibus —manuscriptis, editionibus, inscriptionibus; de linguae latinae origine ejusque in Christifidelium institutis et in liturgia usu; de bibliographia, de ejus Romae, Medio Aevo, studiosis bonarum litterarum renascentium et recentiorum evolutione; de notione methodoque diversorum grammaticae elementorum atque de foneticae et fonologiae inter se consuetudine atque congruentia.

Philologiae cultores studiosique hoc opus libenter legent ac maximas laudes auctori dicabunt quod in uno volumine nimiam rerum copiam colligere, ordinare et exstruere scivit.

GRUENDEI, R. — *Addenda bibliographica praecipue ad CIL e periodici L'Année épigraphique nominato excerpta*, 72 pp. Editorial Walter de Gruyter, Berlin, 1965, 24 M.

"Année épigraphique" ex anno 1961 inscriptionum, in Corpore Ins-

criptionum Latinarum (CIL) jam explicatarum, congruentias nobis indicat. M. Guendel hujus fasciculi notulis lacunam intra annos 1888 et 1960 exstantem explere voluit. Quare in hoc fasciculo eandem inscriptionum summam quam in CIL invenimus; inter eas valde laudanda sunt "Carmina Latina epigraphica", "Inscriptiones Graecae ad res romanas pertinentes", "Inscriptiones Latinae Christianae veteres", et "Epemeris epigraphica".

Hoc fasciculum maxime laudamus commendamusque quod investigatoribus valde utile est.

ERASMO DA ROTTERDAM, D. — *Il Ciceroniano o dello stilo migliore*, testo latino critico, traduzione italiana, prefazione, introduzione e note a cura di ANGILO Y GAMBARO, 363 pp., Editorial La Scuola Editrice, Brescia, 1965, L. 5000.

"Dialogus Ciceronianus", mense martio 1528 Basileae in lucem editus, una cum "De duplici copia verborum ac rerum", est opus quod Erasmi scribendi genus nobis declarat. Quo intenditur auctores Ciceronis dicendi genus tantum imitantes Christifideliumque humanitatem et instituta paganorum veste induentes in ridiculum vertere atque in dicendo libertatem magni habere. Ideo in dialogo Erasmus omnes aequales scriptores saec. XVI exprobrat eorumque artem rhetoricam imminuit. Quam ob rem hoc opus in italica regione in oblivione fuit per 436 annos cum id in lucem nemo proferre vellet.

Textui Erasmi apparatus criticus et quaedam philologicae notae tantum adhibitae sunt, quia volumen viris in hac re peritis tantum evulgatum est. Tamen vero duas litteras

Joanni von Vlattem datas adnotavit interpres. Alias litteras cognoscere nostra interest, quia quomodo quibusque de causis opus Erasmus composuerit manifestant; alias quidem litteras, quia aequalium disensionem declarant atque singillatim ac distincte dicunt quomodo res ab eo tractata in annos progressa sit.

Ut Erasmus textus et mens nobis evidentiores apparerent interpres nonnullis punctis notavit. Quamquam Erasmi dicendi genus interdum difficile videtur atque aliquae voces ex illa aetate decerptae, tamen versio in linguam italicam emendatissima est. Hacque de causa interpretem maxime laudamus.

In longa riteque exstructa praefatione interpres nobis dicit aliqua de Erasmi operis praeparatione, de quaestionibus rei tractatae antecedentibus et de re ipsa ab eo agitata, de admonitis quibusdam ad rem expositam comprehendendam atque de ejus diversa apud aequales scriptores aestimatione.

DEGRASSI, A. — *Imagines* (Inscriptiones Latinae Liberae Rei Publicae imagines), 337 pp., Ed. W. de Gruyter, Berlín, 1965.

In hoc volumine, quod Theodori Mommsen opus sequitur, eae alicujus momenti imagines Liberae Rei Publicae colliguntur. Auctor et Theodori Mommsen ejusque discipulorum investigationes complere et nonnullas inscriptiones prae hominum negligentia et belli detrimentis derelictas vulgare conatus est. Omnes haec inscriptiones nobis utiles esse possunt ad melius Liberam Rem Publicam cognoscendam.

His rebus conflatur volumen: ampla praefatione in qua et operis finis et media ad id conficiendum et difficultates brevi explicantur:

“tabulis imaginum” cum notitia et de loco ubi inveniuntur et de materia ex qua confectae sunt et de deo cui dicabantur et de saeculo cui assignantur; “monumentis in imaginibus representatis”; “titulis ubi certis annis vel certo et brevi temporis spatio tribuendis”; “locis ubi monumenta prodierunt”; “comparatione numerorum”.

Imaginum ars typographica et claritas maxime laudandae sunt. Tandem opus laude dignissimum atque utilissimum omnibus qui hanc aetatem Historiae Romanae agnoscere velint esse dijudicamus.

J. L. LATORRE, C. M. F.

RADERMACHER, L. — M. FABI QUINTILIANI *Institutiones Oratoriae*. Pars prior libros I-VI continens, pp. XII-365; pars secunda libros VII-XII continens, pp. XII-458. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri, MCMLXV, 20 × 13 cmm.

Hoc notissimum Quintiliani opus nunc recens iterum stereotype correctius edidit Bibliotheca Scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana. Continet praefationem Ludovici Radermacheri de Quintiliani codicum historia et momento, quae priori editioni praemissa erat, textum cum notulis criticis, demum addenda quaedam et corrigenda a Vincentio Bucheitio in postremis operis paginis collectis et adjectis (vol. I, pp. 358-365; vol. II, pp. 455-458). Volumen alterum indice totius operis ditatur, pp. 428-454. Optandum tamen est ut in posterum addenda et corrigenda non ad finem operis protrahantur, sed singula suo proprio loco reponantur, ut editio haec Teubneriana sit omnibus numeris absoluta.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

KLOTZ, A. — C. IULI CAESARIS *Commentarii: Vol. II Commentarii Belli Civilis*. Editio stereotypa correctior editionis alterius. Addenda et corrigenda collegit et adiecit W. TRILLITZSCH. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MCMLXIV, pp. XXII-174, 20 × 13 cmm.

Hoc alterum volumen Commentariorum Caesaris continet tantum Bellum Civile. In praefatione, ut mos est in Bibliotheca Teubneriana, recensentur praecipui hujus operis codices ab Alfredo Klotz. Post praefationem conspectus siglorum et notarum proponuntur; textus prioris editionis sequitur cum criticis annotationibus; postea index nominum; denique addenda et corrigenda (pp. 170-174) a W. Trillitzsch collecta et revisa. Est editio valde utilis et auctorata.

KURFERS, A. - AHLBERG, A. W. — C. SALLUSTI CRISPI *Catilina - Jugurtha - Fragmenta ampliora*. Editio tertia stereotypa. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MCMLVII, pp. XXXII-200, 20 × 13 cmm.

Anno MCMLVII haec tertia editio stereotypa Sallusti prodiit, cui nonnulla addenda et corrigenda apposita sunt (pp. 198-200). Historiarum reliquiae, non hic, sed seorsum prodierunt. In praefatione breviter de historia codicum sallustianorum, de testimoniis allatis, de libris, com-

mentationibusque sallustianis nuper conscriptis disseritur; veterum de Sallustio testimonia praecipua adducuntur, loca afferuntur prioris et alterius editionis quae inter se differunt, necnon et conspectus siglorum et notarum proponitur. Textus criticus sequitur in quo Catilinam, Jugurtham, Orationes Epistulasque ex historiis excerptas videmus; sub fine vero operis summam de orthographia sallustiana (pp. 182-184), indicem nominum (pp. 189-198), addenda quaedam et corrigenda (pp. 198-200) ante oculos habes. In parvo volumine, res magnae magnique momenti.

KASTEN, H. — M. TULLI CICERONIS *Scripta quae manserunt: Fasc. 19. Oratio pro P. Sulla. — Oratio pro Archia poeta*. Lipsiae in aedibus B. G. Teubneri MCMLXVI, pp. XVI-49, 20 × 13 cmm.

Praefatione hujus voluminis ciceroniani agitur singillatim de praecipuis codicibus harum duarum orationum. Inter praecipuas editiones illius meminit, quam Emmanuel Marín Peña, nunc recens vita functus, in hispana Bibliotheca "Alma Mater" ediderat. Ut res ipsa postulat, textui orationum cum notulis primae partes tribuuntur. In fine operis index rerum et nominum invenitur. Haec tertia editio correctior est et ditior prioribus.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

LIBRI QUI INSCRIBUNTUR "TEXTOS PALAESTRA"

venales prostant apud officinam librariam EDITORIAL CLARET

LAURIA, 5

BARCELONA (10)

---

JIMÉNEZ, Grammatica Latina ... ..	ptis.	60
" Repetitorium ... ..	"	60
" De Orthographia latina (altera editio) ... ..	"	20
" Index Orthographicus ... ..	"	5

"TEXTUS" ANNOTATIONIBUS PRAEDITI

JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.) ... ..	ptis.	10
" <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ... ..	"	12
* RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i> ... ..	"	10
* MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.) ... ..	"	12
* JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poeta</i> (2 edit.) ... ..	"	10
" <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.) ... ..	"	10
" <i>Caesaris, De bello civili</i> ... ..	"	10
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i> ... ..	"	10
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.) ... ..	"	12
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.) ... ..	"	10
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i> ... ..	"	8
* ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i> ... ..	"	12
RUIZ, <i>Homeri Odyssea</i> (lib. I) ... ..	"	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i> ... ..	"	12

Stellula distincti, etiam sine annotationibus prostant venales, pesetis 6

---

# Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graecorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 159 Eurípides - Tragédies (vol. I). Alcestis
- 160 Ovidi - Tristes (vol. II). Llibres III-V
- 161 Lluiciá - Obres (vol. I)
- 162 Suetoni - Vides dels dotze Cèsars (vol. I)

Subnotationes mittantur ad:

**E D I T O R I A L   A L P H A ,   S .   A .**

Via Layetana, 30 - BARCELONA